



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Commentariorvm, Ac Dispvationvm, In Tertiam Partem Divi Thomae. Tomi Qvinqve**

Qui Est Primvs De Sacramentis: In Qvo Ea Continentvr, Qvæ Post  
Præfationem Indicantvr

**Suárez, Francisco**

**[Köln], 1619**

7 Vtrum per Baptismum aperiatur baptizatis ianua regni cœlestis .

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-93807](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-93807)

ARTICVLVS VII.

Verum effectus Baptismi sit apertio ianua regni caelestis.

Ad septimum sic proceditur. Videtur, quod effectus Baptismi non sit apertio ianua regni caelestis. Illud enim quod est apertum, non indiget apertione. Sed ianua regni caelestis est apertio per passionem Christi, unde Apocalyp. 4. dicitur, conuersus est effectus Baptismi apertio ianua regni caelestis.

2. Preterea, Baptismus omni tempore, ex quo institutus fuit, habet suum effectum. Sed quidam baptizati sunt Baptismo Christi ante eius passionem (ut habetur Ioan. 3.) quibus, si tunc decessissent, introitus regni caelestis nondum patebat, in quod nullus ante Christum meruisset, secundum illud Mich. 2. ascendit pandens iter ante eos. Non est ergo effectus Baptismi apertio ianua regni caelestis.

3. Preterea, Baptizati adhuc sunt obnoxij morti, & aliis, penalitatibus vite presentis, ut supra dictum est. Sed nulli est apertus aditus regni caelestis, quamdiu obnoxius est poena, sicut patet de his, qui sunt in purgatorio. Non ergo effectus Baptismi est apertio ianua regni caelestis.

Sed contra est, quod super illud Luc. 3. Apertum est caelum, dicitur glossa Bedae. Virtus hic baptismatis ostenditur, de quo quisque, cum egreditur, regni caelestis et ianua aperitur.

Respondetur dicendum, quod aperire ianuam regni caelestis, est amouere impedimentum, quo quis impeditur regnum caeleste introire. Hoc autem impedimentum est culpa & reatus poena. Ostensum est autem supra, quod per Baptismum omnis culpa & omnis reatus poena tollitur. Unde consequens est, quod effectus Baptismi sit apertio ianua regni caelestis.

Ad primum ergo dicendum, quod Baptismus in tantum aperit baptizato ianuam regni caelestis, in quantum incorporetur ei cum passione Christi, virtutem eius homini applicando.

Ad secundum dicendum, quod quando passio Christi nondum erat realiter perfecta, sed solum in fide credentium, Baptismus proportionaliter causabat ianua apertionem, non quidem in re, sed in spe. Baptizati enim tunc decedentes ex certa spe, introitum regni caelestis expectabant.

Ad tertium dicendum, quod Baptizatus non est obnoxius morti, & penalitatibus vite presentis, propter reatum personae, sed propter statum naturae. Et ideo propter hoc non impeditur ab introitu regni caelestis, quando anima separatur a corpore per mortem, quasi iam per soluto eo, quod natura debebat.

COMMENTARIVS.

De hoc effectu iam supra dictum est. Solum est aduertenda ratio D. Thomae, probat enim Baptismum aperire ianuam regni, quia tollit impedimenta regni caelestis quae sunt culpa, & reatus poena. Contra quam instari potest, nam etiam circumcisio tollebat haec impedimenta, & tamen non dicitur aperuisse ianuam regni, ut constat ex capitulo Maiores, de baptismo. Item, Baptismus ipse ante Christi mortem applicatus tollebat eadem impedimenta, & tamen non aperiebat ianuam regni. Nam si quis statim post Baptismum tunc decessisset, non fuisset regnum caelorum ingressus. Sed sciendum est, aliud esse agere de personali impedimento, aliud de impedimento totius naturae; nam illud tollitur per gratiam, & integram remissionem poenae debitam ipsi personae: ad hoc vero tollendum necessaria fuit passio & satisfactio Christi de se sufficiens pro lapsu totius naturae. Baptismus ergo cum non sit ad satisfaciendum pro tota natura, sed ad applicandum singulis personis generalem ac sufficientem Christi satisfactionem, non tollit ex se impedimentum totius naturae, nisi quatenus illud redundabat in personam, cui applicatur baptismus, nam impediens illam ab ingressu regni, & hoc impedimentum tollit baptismus. In quo

COMMENTARIVS.

Materia huius articuli in praecedenti disputatione tractata est. Etenim haec quaestio ita coniuncta est cum alia de adultis, ut sine repetitione, & prolixitate, non potuerint separari. Littera autem Diui Thomae factis clara est.

4. Preterea, Quod ex carnali intentione agitur non videtur habere spirituale effectum. Sed quandoque, pueri ad baptismum de feruntur carnali intentione, ut scilicet corporaliter saluentur. Non ergo consequuntur spirituale effectum gratiae & virtutum. Sed contra est, quod Augustinus dicit in Enchirid. Paruuli renascendo moriuntur illi peccato, quod nascendo contraxerunt. At per hoc ad illos etiam pertinet, quod dicitur: consepulsi sumus cum illo per Baptismum in mortem (subditur autem) ut quomodo Christus surrexit a mortuis per gloriam Patris, ita & nos in nouitate vitae ambulemus: Sed nouitas vitae est per gratiam & virtutes. Ergo pueri in Baptismo gratiam & virtutes consequuntur. Respondetur dicendum, quod quidam antiqui posuerunt, quod pueri in Baptismo non dantur gratia & virtutes, sed imprimuntur eis charactere Christi, cuius virtute, cum ad perfectam aetatem venerint, consequuntur gratiam & virtutes. Sed hoc patet esse falsum dupliciter. Primo quidem, quia pueri sic & adulti in Baptismo efficiuntur membra Christi, ydonee esse, quod a capite recipiant influxum gratiae & virtutis. Secundo, quia secundum hoc pueri decedentes post baptismum, non peruenirent ad vitam aeternam, quia, ut dicitur Rom. 9. Gratia Dei est vita aeterna. Et ita non profuisset eis ad salutem, baptizatos fuisse. Causa autem erroris fuit, quia nascitur distinguere inter habitum & actum. Et sic videntes pueros inhabiles ad actus virtutum, considerant eos post baptismum nullatenus virtutem habere. Sed ista impotentia operandi, non accidit pueris ex defectu habituum, sed ex impedimento corporali: sicut etiam dormientes quantum habeant habitus virtutum, impediuntur tamen ab actibus propter somnum. Ad primum ergo dicendum, quod fides & charitas confertur in voluntate hominum: ita tamen, quod habitus harum & aliarum virtutum requirunt potentiam voluntatis, quae est in pueris: sed actus virtutum requirunt actum voluntatis, qui non est in pueris. Et hoc modo Augustinus dicit in lib. de Baptismo paruulorum, quod paruulum, etsi nondum illa fides, quae in credentium voluntate consistit, iam tamen ipsius fidei sacramentum (quod scilicet causat habitum fidei) fidelem facit. Ad secundum dicendum, quod sicut Augustinus dicit in lib. de Charitate, nemo ex aqua & Spiritu sancto renascitur, nisi volens. Quod non de paruulis, sed de adultis intelligendum est. Et similiter de adultis intelligendum est, quod homo a Christo sine ipso non iustificatur. Quod autem paruuli baptizandi, prout viribus possunt, reluctantur, non eis imputatur: qui in tantum nesciunt, quod faciunt, ut nec facere videantur, ut Augustinus dicit in lib. de presentia Dei ad Dardanum. Ad tertium dicendum, quod (sicut Augustinus dicit) paruuli mater Ecclesia aliorum pedes accommodat, ut veniant: aliorum cor, ut credant, aliorum linguam, ut fateantur. Et ita pueri credunt, non per actum proprium sed per fidem Ecclesiae, quae eis communicatur. Et huius fidei virtute conferuntur eis gratia & virtutes. Ad quartum dicendum, quod carnalis intentio deseruitur pueros ad baptismum, nihil eis nocet, sicut nec culpa minus nocet alteri, nisi consentiat. Unde Augustinus dicit in Epistola ad Bonifacium. Non illud te moueat, quod quidam non ea fide ad baptismum percipiendum paruulos ferunt, ut gratia spirituali ad vitam regenerentur aeternam, sed hoc eos putant remedium corporalem retinere vel recipere sanitatem. Non enim propterea illi non regenerantur, quia non ab istis hac intentione esserunt.

*Differen-  
tia inter Bap-  
tismi  
formam, &  
ei circumcisio-  
nem.*

est differentia inter ipsum, & circumcisionem, & omnem gratiam, quae ante Christi mortem dabatur, quia tunc gratia non aperiebat ianuam regni pro illo tempore, & ita pro tunc non tollebat impedimentum illud totius naturae, etiam prout in singulas personas redundabat, sed solum dabat ius obtinendi gloriam statim ac redemptio totius naturae esset consummata. At vero gratia baptismalis statim aperit ianuam regni, & per se conuenit Baptismo, in quantum institutus est signum passionis Christi iam exhibite & consummatae, a qua habet virtutem applicandi satisfactionem iam factam. Quod autem ante Christi mortem Baptismus non haberet hunc effectum, est quali per accidens: quia tunc Baptismus nondum habebat suam significationem perfectam, & erat quasi in statu praeternaturali: quia licet ante Christi mortem institutus sit, tamen per se non instituebatur pro illo statu imperfecto legis veteris, sed pro statu perfecto legis gratiae, in quo, & redemptio Christi perfecta est, & impedimentum totius naturae sublatum.

DISPUTATIO XXVII.

*De necessitate Baptismi ad gratiam, & gloriam consequendam.*

**I**nc disputationem supra, quaest. 66. art. 1. & 2. in hunc locum remisimus, quia supponit ea, quae in precedenti disput. dicta sunt, nimirum, Baptismum conferre gratiam primam, & aperire ianuam regni. Statim enim inquirendum sequitur, an sit causa adaequata huius effectus, ita ut sine illa fieri non possit: quod est inquirere, an Baptismus sit necessarius necessitate medij. De necessitate autem praecipue inferius in parte morali dicendum est. Dicemus igitur primo de hac necessitate in communi, deinde tam in adultis, quam in infantibus sigillatim eam explicabimus.

SECTIO I.

*Utrum Baptismus sit simpliciter necessarius ad gratiam, & ad vitam aeternam consequendam.*

*Primus error negantis necessitatem Baptismi.*

**M**ulti haeretici negant hanc Baptismi necessitatem: non tamen eodem modo, neque ex eisdem principiis, & fundamentis. Primo Pelagiani, cum negarent originale peccatum, & gratiae necessitatem, consequenter negabant Baptismum esse necessarium, vel ad remissionem peccati, vel ad gratiam obtinendam, vel ad consequendam vitam aeternam, quam putarunt esse purae naturae debitam. Ita sumitur ex Augustino haeresi 88.

*August. Distinguitur haereticorum vitam aeternam, & caelorum regnum.*

Quoniam vero Ioan. 3. ait Christus, neminem sine Baptismo ingredi posse regnum caelorum: coacti sunt isti haeretici distinguere inter vitam aeternam, & caelorum regnum: & docere Baptismum esse necessarium ad ingressum regni caelorum, non autem ad vitam aeternam. Quanquam hoc etiam limitauit quidam Vincentius Victor Pelagianus, dicens pueros non baptizatos detineri ab ingressu regni vique ad diem iudicij: postea vero illuc etiam ingressuros: ut refert August. lib. 1. de Anima, & eius origine, c. 9. & lib. 2. cap. 11. & 13. Quam autem differentiam isti haeretici constituerint, inter vitam aeternam, & regnum caelorum, neque Augustinus explicauit, neque a nobis cum aliquo fundamento doceri potest: cum ex sacra Scriptura constet, nec vitam aeternam haberi posse extra regnum caelorum, ut late Augustinus profertur lib. 1. de peccat. merit. c. 18. & 20. nec magis vnum, quam aliud posse sine Baptismo comparari, ut videbimus. Sed huius erroris fundamenta in materia de peccato originali, & de gratia euertenda sunt, ostendendo, homines in peccato originali nasci, & summa gratiae necessitate.

*August.*

Secundus error similis praecedenti, quamuis minus generalis est, Baptismum non esse necessarium saltem hominibus ex parentibus fidelibus, & baptizatis procreatis: quia, vel non oriuntur in peccato originali, vel certe, quia eis non imputatur propter fidem parentum. Hic error antiquior est Caluino, ut constat ex Vualdenf. tom. de sacrament. tit. 3. ca. 53. Vualdenf. lib. 4. ca. 53. & 54. illum tamen, aut excitauit, aut auxit Caluinus, ut constat ex Ruuardo art. 2. & Lindano lib. 4. Panop. c. 15. Prateolo, & aliis recentioribus. Nam alij haeretici fortasse putabant saltem requiri, ut vterque, vel saltem aliquis ex parentibus fidelibus, praesertim videntur docere satis esse, quod aliquis ex progenitoribus, quantumvis remotis, fuerit fidelis, praesertim ab eo tempore, quo facta est Abraham illa promissio: In femine tuo benedicentur oes gentes, & ero Deus tuus, & semini tuo, post te. Omnes enim fideles sunt semen Abraham: non carne, sed spiritu, & fide: ergo omnes complectitur illa promissio: omnes ergo fidelium filij sunt amici Dei. Sed praecipuum huius erroris fundamentum, scilicet filios fidelium non nasci in peccato originali, est plane haereticum, & contrage- nales locutiones scripturae, ut saepe probat August. lib. 2. de pecc. merit. c. 9. 25. & 27. & lib. 1. de Nuptiis, c. 17. & seq. & lib. 6. cont. Iulian. c. 3. vbi argumenta haereticorum dissoluit. Aliud vero huius erroris fundamentum supra tactum de promissione facta Abraham, vanum est. Quis enim cogitet, omnes filios Iudaorum concipi, aut nasci sanctos solum, quia ad Abraham, vel Israel ducunt originem? dicente Paulo ad Rom. 9. Non omnes qui filij Israel, hi sunt Israelitae, neque qui filij carnis, hi filij promissionis. In illa ergo promissione facta Abraham, semen illud, in quo benedicenda sunt omnes gentes, est Christus Dominus, in quo, & per quem, diuinam hereditatem & benedictionem accipiunt, quicumque illis efficiuntur digni, per spiritualem in Christo regenerationem. Et ita explicuit Paulus ad Galat. 3. & 4. & declarat August. Epist. 200. Adde, quamuis per semen Abraham, filios Abraham intelligamus, ut in posterioribus verbis citatis intelligi potest: non oportere id exponere de filijs tantum secundum generationem carnis, sed secundum imitationem fidei. Vel denique, etiam si intelligatur de filijs secundum carnem, subintelligenda semper est conditio, si eandem fidem profiteantur. Iudaus enim ante aduentum Christi ex Abraham descendens, si non circumcideretur, non computabatur inter filios Dei, ut ex eodem loco Genesis colligitur. Non ergo satis erat generatio carnalis ex progenitoribus fidelibus, nisi adungeretur eadem fides, seu eiusdem fidei professio.

Tertius error negat, baptismum esse necessarium ex alio falso fundamento diuinae praedestinationis. Nam si homo inquit auctores huius erroris praedestinator est, etiam si non baptizetur, saluabitur: si vero est reprobatus, etiam si baptizetur, non saluabitur. Ita est argumentatus Vuiclef, ut refert Vualdenf. lib. 2. de sacram. c. 96. Et noui haeretici dicuntur in eodem errore versari. Illa vero argumentatio, si quippiam valeret, non solum probaret, Baptismum non esse necessarium, sed etiam non esse alicuius utilitatis ad salutem consequendam. Rursus etiam probaret, neque obseruare mandata, neque fidem, spem, aut charitatem, vel aliquod aliud medium esse ad salutem necessarium: quia iuxta illud argumentandi genus praedestinatio nullum medium requirit, ut executioni mandetur, quoad vltimum effectum, quod est absurdissimum. Nam praedestinatio, quae est pars diuinae providentiae, non excludit consentanea media ad finem consequendum, sed potius illa prouidet: atque ita disponit, ut infallibiliter ad finem perducant. Quod si praedestinatio non excludit media, quid prohibet, quominus vnum ex illis sit Baptismus? Nullus ergo momenti est illa collectio: si est praed-

*1. Error.*

*Vualdenf. Lindano. Prateolo.*

*August. 28. falsum est error.*

*Paulus ad Rom. 9.*

*Cont.*

*Pris.*

*1. Error.*

*Vualdenf. Prateolo.*

*Repositum.*

*1203.*

prædestinatus, etiam si non baptizetur, saluabitur: sed potius colligendum est, supposita Baptismi necessitate, si est prædestinatus, ergo non morietur sine Baptismo: quia per ipsammet prædestinationem promissum erit, v. infallibiliter baptizetur. E contrario vero non sequitur: si non est prædestinatus, vel si est reprobus, ergo non baptizabitur: quia, esto, Baptismus sit necessaria causa salutis: non tamen est adæquata seu sufficiens, neque carentia baptismi est adæquata causa damnationis. Potest enim etiam is, qui baptizatus est, damnari, si adultus sit: in infantibus vero, quia per proprium actum non possunt amittere gratiam baptismi: neque alio medio indigent ad salutem, recte inferri potest in noua lege, si est reprobatus, & mortuus est ante ætatem adultam: ergo non baptizabitur: non tamen propter eandem causam, quæ de prædestinatione dicta est, sed e contrario, quia reprobatio supponit præsentiam carentiæ baptismi. Atq; eodem modo de adulto vere dicitur, si reprobatus est, etiam si sit baptizatus, non fore saluandum, non quia Baptismus ei minus fructuosus sit, quam prædestinatio: sed quia ille, qui huiusmodi est, non perseuerabit in iustitia per Baptismum accepta. Quod non ideo euenit, quia reprobatus est, sed potius ideo reprobatus est, quia præuisus est non perseueraturus in gratia per Baptismum accepta, vt recte dixit Prosper in responsionibus ad capitula Gallorum, cap. 3. & 7. & in lib. sententiarum, cap. 3. & 7. de qua re latius alibi.

Prætermisiss, ergo his fundamentis extraneis, & erroneis, aliunde videtur posse probari, Baptismum, etiam si sit causa efficaciæ gratiæ, non tamen esse vnicā, & adæquatam, & consequenter non esse simpliciter necessariam. Antecedens patet primo in adultis, quia licet non baptizentur, per fidem, charitatem, ac veram penitentiam, possunt saluari. De paruulis vero, quia interdum baptizari non possunt: ergo tunc poterunt saluari per fidem parentum, sicut ante Baptismum institutum saluabantur. Neque enim credibile est illis esse salutis viam oclusam, vel coarctatam per Baptismi institutionem. De vtrisque vero est etiam argumentum: quia licet non sint baptizati, per martyrium saluari possunt, iuxta illud: Qui me confessus fuerit coram hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo.

Nihilominus simpliciter dicendum est, baptismum esse medium necessarium ad remissionem peccatorum, & ad gratiam & gloriam consequendam. Contraclusio est de fide. Probatur primo, ex scriptura. Ioan. 3. Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei. Loquitur enim Christus tibi de Sacramento baptismi, vt supra ostensum est. In illa vero conditionali locutione intrinsece includitur necessitas. Nam illud dicitur necessarium ad finem aut effectum, sine quo fieri aut comparari non potest, præsertim cum sermo sit de Sacramento instituto ad remissionem peccati originalis, cum quo nemo saluari potest, etiam si aliud non comitatur. Vt, si medicus infirmo diceret, nisi hanc acciperis medicinam, non sanaberis: perinde est, ac si diceret: hæc medicina est tibi ad salutem necessaria. Vnde hanc necessitatem statim explicuit Christus, dicens: Oportet vos nasci denovo, nam verbum illud, Oportet, necessitatem significat, sicut ibidem dixit Christus: Oportet exaltari filium hominis, vt omnis, qui credit in ipsum, non pereat, docens, passionem suam fuisse nobis ad salutem necessariam. Hinc Petrus i. Canonica, cap. 3. Baptismum dicit fuisse præfiguratum per arcam Noe in diluuiio: quia, sicut per illam arcam pauci salui facti sunt, qui illo remedio, tanquam omnino necessario indiguerunt, ita nos quoque similis formæ saluos facit Baptisma. Et idcirco Actorum 2. interrogatus Petrus à quibusdam, Quid faciemus? nimirum, vt saluemur: ipse respondit. Penitentini igitur, & baptizetur vnusquisq; ve-

strum, significans tam necessarium esse baptismum peccatoribus, q̄ penitentiam. Ac simili modo Paulus, cum ad Rom. 5. dixisset: sicut per vnum hominem omnes lapsi sunt, ita per vnum Christum esse viuificandos: statim capite sexto, proponit vnicam vitam resurgendi à peccato per Christum, dicens: An ignoratis, quia quicumq; baptizati sumus in Christo Iesu, in morte ipsius baptizati sumus: &c. Et ideo ad Titum tertio, baptismum vocat regenerationem, per quam saluamur: quia sicut naturalis generatio ex Adamo est vnica via contrahendi peccatum ex Adamo, ita hæc generatio per aquam est vnica via resurgendi ab illo peccato per Christum. Atque in hunc modum intellexit semper Ecclesia has scripturæ locutiones.

Vnde probatur secundo hæc veritas: Ecclesiæ auctoritate, & Patrum traditione. Primum enim antiqua Concilia contra Pelagium congregata, hanc veritatem docuerunt, vt constat ex Epistolis Conciliorum, Carthaginensis, & Mileuitani ad Innocentium Papam, & rescriptis eius, quæ habentur inter epistolam Innocentij 24. & 26. & inter epistolam Augusti. 90. 91. 92. & 93. clarius id tradit Concilium Florent. quod propter hanc causam vocat Baptismum Ianuam spiritualis vitæ: ita exponens verba Christi. Iohannis 3. Concilium etiam Tridentinum sess. 7. Can. 5. de baptis. anathema dicit in eum, qui dixerit, baptismum liberum esse, id est, non necessarium ad salutem. Sed hic Canon exponi posset de necessitate præcepti, nam hæc necessitas videtur proprie opponi libertati, de qua ibi est sermo, tamen ex doctrina eiusdem Concilij, sess. 5. Can. 4. & 5. colligitur hanc necessitatem non solum esse respectu adultorum, sed etiam respectu infantium, & ideo non posse esse solam necessitatem præcepti, sed etiam medij.

Præterea Syricius Papa epist. 1. cap. 2. dicit, Baptismum nemini esse negandum in necessitatis articulo. Ne, si absq; Baptismo decedat, & regnum perdat, & vitam: & inferni vocat baptismum, vnicum creditatis auxilium, eodem modo loquitur Leo Papa, epistola 78. alias 80. vbi inter alia ait. Qui Baptismo priuatur, necessaria liberatione fraudari. Et Clemens Papa epist. 4. cum dixisset. Per Baptismi regenerationem exuere hominem maculam priorum natiuitate contractam: subdit. Alias impossibile est. Idem fere iterum lib. 3. contra Hæres. c. 19. dum ait, Aquam, & Spiritum esse necessaria, vt homo in vitam Dei perficiatur. Idem sumitur ex Gregorio 4. moral. c. 2. & Hiero. Dialogo 3. contra Pelagianos, vbi in hanc sententiam refert, & plurimum commendat libros Augustini de peccato, merit. & remission. in quibus copiose hanc veritatem docuit Augustinus, qui etiam legi potest contra duas epistol. Pelag. c. 4. Vbi Innocentium allegat, & lib. 1. de anima & eius origine, capit. 10. vbi facilius existimat hominem baptizatum, & in peccato mortali mortuum, potuisse ab æternis penis per intercessionem cuiusquam sanctæ mulieris liberari, quam hominem non baptizatum, per similes preces saluari: quod per quandam exaggerationem dictum videtur. Vtrumque enim æque impossibile est, quia non est minus necessaria Penitentia peccati mortalis post baptismum commissi, quam baptismus ad priora peccata delenda, quamuis, si dispensatio in hac lege esset admittenda propter preces alicuius sancti, facilius videretur Augustino admitti posse circa hominem baptizatum, quam circa non baptizatum, quia ille est Christo, & Ecclesiæ incorporatus, non vero hic. Eandem baptismi necessitatem docet idem Aug. lib. 2. de anima & eius orig. cap. 12. & li. 3. cap. 9. vbi sic scribit. Noli credere, noli dicere, noli docere, infantes, anteq̄ baptizentur, morte præuentos, posse peruenire, ad indulgentiam originalium peccatorum, si vis esse Catholicus. Idem epi. 28. ad Hier. & similia habent Fulgen- tius. Idem epi. 28. ad Hier. & similia habent Fulgen- tius. Nec credi fas est, inquit, eos, qui non sunt adepti regenerationis sacramentum, ad vllum beatorum perti- nere

Rom. 6.

Probatur conclusio.

Cœ. Carth. Mileuit. August. Cœ. Flor.

Tridentin.

Syric. Papa

Leo Papa

Clem. Papa

Innocent.

Gregorius Hieronym.

August.

Fulgentius Prosper.

Baptismi necessitas

Conclusio

Probatur

1. In 3.

*Chryso.* nere consortium. Idem docet Chrysoft. hom. 40. in 1. ad Corinth. vbi tractans illa verba: Quid facient, qui baptizantur pro mortuis: refert quorundam errorem, qui putabant, posse aliquem ex viuis baptizari pro defuncto, qui sine Baptismo decessit, ita vt Baptismus ille mortuo proficit ad vitam. Quem errorem dicit esse contra verba Christi, Nisi quis renatus fuerit, in quibus vnicique dum viuit, dicitur esse necessarius proprius Baptismus: Sed de illo loco Pauli, & quid sit baptizari pro mortuis, late disserui superiori tomo, disput. 50. sectio. 1.

*Ratio Con.* Vltimo adhibenda est ratio huius veritatis, quia cum omnes homines nascantur in peccato originali, & filij iræ, indigent aliquo medio, quo, & ab illo peccato liberentur, & Christo liberatori suo vniantur, sed in lege noua hoc medium ab eodem Christo institutum, est Baptismus, vt ex superius tractatis de eius institutione constat. Ostendimus quoque in superioribus, in omni lege fuisse necessarium aliquod sacramentum fidei ad hunc effectum, quod in vnoquoque statim fuit suo tempore accommodatum: hoc autem sacramentum determinatum est ad Baptismum in noua lege. Est ergo simpliciter necessarius ad suum effectum.

Atque hinc sequitur, Baptismum non minus esse necessarium filiis fidelium seu baptizatorum hominum, quam reliquis. Probatur, tum, quia etiam hi nascuntur in peccato originali, & filij iræ, & indigent incorporari Christo, eiusque caractere consignari: tum etiã, quia omnia testimonia adducta generalia sunt, & vniuersus Ecclesiæ consensus ita declarat verba

*Cō. Trid.* Christi. Ac tandem expresse definit Conc. Trid. sess. 5. Can. 4. Neque in hoc est vlla difficultas. Nam licet parentibus sit remissum peccatum originale, nihilominus per eorum carnalem generationem transfunditur peccatum originale in filios, quia non generant illos vt sancti, sed vt filij Adæ: & quia licet eis sit remissum peccatum, quo ad personalem maculam, non tamen, quo ad communem naturæ defectum.

*Obiicit.* Solet vero obiici locus ille Pauli, 1. ad Cor. 7. Sanctificatus est vir infidelis per mulierem fidelem, & sanctificata est mulier infidelis per virum fidelem: alioqui filij vestri immundi essent, nunc autem sancti sunt: Si ergo filij qui nascuntur ex alterutro parente fideles, sancti sunt, non est illis necessaria simpliciter alia sanctificatio baptisimi. Respondetur, ibi Sancti vocabulo non intelligi iusti & mundi à culpa coram Deo, sed idem quod legitimi & ex puro thoro nati. Docet enim ibi Paulus Matrimonium inter fidelem, & infidelem non statim dissolui. Alioqui, inquit, filij vestri immundi essent, id est, illegitimi. Quod ergo subdit, nunc autem sancti sunt, intelligit de sanctitate illi immunditiæ opposita, id est, legitime, & honeste concepti, ita Ambrosius

*Ambr. August.* ibi, cum aliis & D. Augustin. ferm. 14. de verbis Apost. circa finem, & lib. 2. de peccato. merit. ca. 26. & hic videtur literalis sensus. Secundo vero dicitur, si intelligatur de vera sanctitate, non esse sensum filios sanctificari (vt sic dicam) ex opere operato hoc solum, quod ex parentibus fidelibus oriuntur, sed quod eorum fide, & diligentia, ac exemplo possunt facile sanctificari, sicut ibidem dicitur sanctificari coniux infidelis per coniugem fidelem, quod tamen nullus intellexit fieri ex vi solius Matrimonij, sed per exemplum, & sanctam conuersationem, quæ non excludit necessitatē Baptisimi, sed est potius quædam occasio excitans ad suscipiendum illum. Ita exponit etiam Aug. lib. 1. de ferm. Domini in monte cap. 27. & lib. 3. de peccator. merit. capit. 12. Hieronymus Epistola 153. ad Paulinum, qui citat Tertull. lib. de Monogamia, qui eandem fere expositionem habet libro secundo ad vxo-  
*Aug. Hier. Tertull.* tem.

Fundamenta hæreticorum, inter referendas eorum sententias, expedita sunt. Vltima vero ratio dubitandi à nobis proposita postulat dubitationes sequentibus sectionibus tractandas.

*Vtrum sacramentum baptisimi re ipsa susceptum sit adultis ad salutem necessarium?*

**N**on defuerunt hæretici, quid docuerunt, nullum adultum posse saluari, si absque baptismo re ipsa suscepto moriatur, quantumvis desiderio ipsius flagrauerit, & per eum non feterit, quo minus fuerit ablutus. Ita refert Bernardus epist. 77. & nostris temporibus Theologus quidam Louaniensis dicitur Michael Baius docuit, sine baptismo re ipsa suscepto, posse quidem interdum obtineri charitatem, non tamen comparari remissionem peccati ante realem baptismi susceptionem: mouebaturque quibusdam Augustini terti montis, quæ postea tractabimus. Huius vero authoris sententiam Pius V. & Gregorius XII. ap-  
*Bernard. Greg. XII.* prius rescriptis ac literis contra doctrinam huius authoris editis reprobarunt. Alius autem error, qui in hac sententia continetur, scilicet, infundi charitatem absque remissione peccati, & in Concilio Tridentino sessio. 6. plane damnatus est, & in materia de gratia proprium habet locum, fusiorque contrarium est ibi disputatio.

Dicendum ergo est primo, ad obtinendam primam gratiam & remissionem originalis peccati, & actualium, quæ cum ipso coniuncta fuerint, non esse necessarium semper Baptismum in re ipsa suscipere, sed sufficere contritionem, Baptismi votum in se continentem. In hac assertionem conueniunt omnes Theologi, tamquam in re omnino certa: quæ probatur primo ex illis scripturæ locis, in quibus hominibus vere pœnitentibus, seque post peccatum per amorem, dolorem, & contritionem ad Deum conuertentibus vera iustificatio & remissio peccati promittitur, vt est illud Ezech. 18. Conuertimini ad me, & ego conuertar ad vos. & alia similia, quæ omitto, tum quia vulgaria sunt, tum quia in materia de penitentia & de gratia latius tractantur. Ex quibus colligitur, non solum posse hominem iustificari ante realem susceptionem Baptisimi, verum etiam frequenter ita fieri, quia interior cordis motus in Deum, & aduersus peccatum vno momento perficitur, priusquam homo baptizari possit. Nam Baptismus & ab alio conferendus est, & temporis successione requiritur: motus autem interior & ab alio non pendet, præterquam à Deo, & ab ipso homine peccatore, & in instanti perfici potest. In huius autem veritatis confirmationem habemus illustre exemplum Actorum 10. vbi Cornelius, antequam Baptismum susciperet, iustificatus est, & prædicante Petro, Spiritus sanctus cecidit super multos, qui nondum baptizati fuerant, de quibus Petrus dixit: Numquid aquam quis prohibere poterit, vt non baptizentur hi, qui Spiritu sanctum acceperunt, sicut & nos? Secundo probatur hæc veritas testimonio Patrum, ex quibus multa congeruntur in decretis de Confec. dist. 4. præsertim in capite, Baptisimi vice. Et in cap. Non dubito, ex August. lib. 4. de Baptismo, ca. 22. & sequentibus. Idem August. lib. 2. contra litteras Petil. vbi in illo hæretico contrarium errorem damnat: citatur etiam August. in libr. 8. de Ciuit. Dei ab Innoc. III. in capite. Apostolicam, de Presbytero non baptizato, vbi etiam refert Ambrosium oratione de obitu Valentiniani circa fin. vbi inter alia inquit, Audio vos dolere, quod non acceperit Sacramentum baptismatis, atqui hoc etiam in votis habuit. Non ergo habuit gratiam, quam desiderauit? Non habuit, quod poposcit? Imo, quia poposcit, accepit. Idem late docet Bernardus dicta epistola 77. vbi inter alia ponderat, dixisse Christum Marci vltimo. Qui crediderit & baptizatus fuerit, saluus erit: qui vero non crediderit, condemnabitur: Non vero dixisse, qui non baptizatus fuerit, condemnabitur: quia per fidem viuam homines iustificari possunt, etiam si Baptismum re ipsa non suscipiant. Quod etiam vere docuit Hugo Victorinus libro 2. de Sacramentis parte 6. cap.

6. cap. 7. Propter quod Trident. Conc. sessio. 6. cap. 4. docet, Post Evangelium promulgatum neminem transferri à statu peccati in statu gratiæ, sine laqueo regenerationis, aut eius voto. Ita exponens verba Christi Iohan. 3. Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei. Tertio adiungi potest ratio, quia interior iustificatio fit per infusionem gratiæ, & charitatis, per quam etiã peccatum expellitur, sed vltima dispositio ad hanc iustitiam potest haberi prius tempore, quam homo realiter baptizetur: ergo etiam ipsa iustificatio. Minor probatur, quia iuxta Concil. Trid. sess. 6. & 14. vltima dispositio ad iustitiam est vera Penitentia ex amore Dei super omnia procedens, cum voto præstandi reliqua, quæ necessaria sunt. Hoc autem totum fieri potest ante Baptismum, vt per se notum est, & ex dictis etiam est probatum. Consequentia vero principalis argumenti probatur: tum scripturis, quia cor contritum & humilium Deus non despici, sed diligit potius diligentes se, tum ratione Theologica, quia facienti, quod in se est, per gratiæ auxilium Deus non denegat suam gratiam, & iustitiam: tum ratione morali, qui voluntas pro facto reputatur, vbi facultas deest, præsertim apud Deum, qui corda intuetur: tum denigratione phylosophica, quia, posita vltima dispositione, statim infunditur forma.

Ex quibus infero, non satis perfecte scripsisse Pamelium super epist. 54. Cypriani, circa finem, improbabilem esse eorum sententiam, qui solam contritionem sufficere plerumque existimant ad remissionem peccati absque Baptismo re ipsa suscepto. Vnde subdit inferius, etiam si ordinari non sit peccatorum remissio in decedentibus sine confessione & baptismo, tamen interdum, atque in necessitate operari Deum sine Sacramento. Ex quibus verbis colligere licet, quid ipsum mouerit ad eam sententiam, nimirum, quia Patres solum docent, contritionem sufficere sine Baptismo in casu necessitatis, vt constat ex Cypriano ibi, & Augustino libro de natura boni contra Manichæos, capite vltimo, & libro 1. de adulterinis coniugiis, capite vltimo. Veruntamen hæc sententia sustineri quidem posset, si sermo esset de vltima salute, seu gloriæ consecutione, vt statim dicam, tamen loquendo de iustificatione & remissione peccati, defendi non potest, quia non solum non est improbabile ad huiusmodi effectum sufficere contritionem cum voto Baptismi absque reali susceptione Sacramenti, verum potius est certum & Catholicum dogma, vt probat, quæ adducta sunt, & quæ tradit Concilium Tridentinum, sessione 6. & 14. Atque hinc fit, ordinari accidere posse ad vltimum catechumenum iustificari ante realem susceptionem Sacramenti. Quia iuxta legem gratiæ ordinari fieri facile potest, vt veram contritionem habeat, prius tempore, quam baptizetur. Neque hoc est contra mentem Sanctorum, qui necessitatem aliquam requirunt. Nam hic etiam intercedit aliquis modus necessitatis, eo quod non sit in potestate hominis statim & in momento baptizari, sicut est in hominis potestate statim ac sine dilatione conuerti, cum qua perfecta conuersione coniuncta est sanctificatio, ac peccati remissio. Contra hanc vero doctrinam obici possent nonnulla Patrum testimonia, quæ non minus possunt contra sequentem conclusionem virgere, & ideo inferius melius proponentur.

Dico secundo, regulariter ac per se loquendo, non assequuntur homines beatitudinem absque reali susceptione Baptismi, interdum tamen accidere id potest, interueniente impedimento, suscipiendi Sacramentum. Assertio est certa, & quoad priorem eius partem habemus exempla Actor. 9. & 10. vbi Paulus ait, Centurio & alii fideles, qui per fidem & interiorum conuersionem iustificati fuerant, & Spiritum sanctum acceperant, baptizati sunt, vt æternam vitam consequi possent. Vnde Augustin. libr. 4. de Ba-

ptismo c. 21. sic inquit: Si contritus post Spiritum sanctum acceperit baptizari voluisset, contempni Sacramenti reus fieret. Et infra dicit: Bono catechumeno deest Baptismus ad consequendum regnum cælorum. Et li. 1. qu. ad Simplicianum, qu. 2. In quibusdam inquit, tanta est gratia fidei, quanta non sufficit ad capeffendum regnum cælorum, sicut in catechumenis, vt in Cornelio, antequam sacramentorum participatione incorporaretur Ecclesiæ. Et infra: Fiunt conceptiones quædam fidei conceptibus similes, non tamè solum concipi opus est, sed etiam nasci, vt ad vitam perueniatur æternam. Et similia habet, quæ li. 3. in Numeros. Quæ omnia per se intelligenda sunt, ac conclusa necessitate, quæ omnino cogant hominem sine Baptismo mori. Dices, idem esse de iustitia seu sanctitate: quæ est ergo differentia, quam Augustinus significat, quamque etiam nos in hac, & præcedenti conclusione indicauimus? Respondetur, esse quidem in hoc similitudinem, quod Sacramentum baptismi per se institutum sit, vt medium necessarium, tam ad remissionem peccati, quam ad beatitudinem obtinendam: tamen est differentia, respectu adulatorum, quod regulariter ac moraliter loquendo, non possunt tam cito Baptismum recipere, quam ad beatitudinem peccati obtinere, si, quod in ipsis est, facere & præstare velint, at vero respectu gloriæ, quantum interius perfecte se disponant, non possunt statim illam consequi, & ideo frequenter ac regulariter possunt prius re ipsa baptizari, quam ad beatitudinem perueniant. Et hæc est tota ratio huius partis: nam Baptismus re ipsa susceptus, per se loquendo, est medium necessarium ad capeffendum regnum cælorum, vt constat ex verbis Christi, Iohannis 3. & est etiã in præcepto, vt ex Matt. & Marci vltimo colligitur, sed adulti per se, ac regulariter loquendo, possunt vt hoc medio, & implere hoc præceptum, antequam moriantur: ergo moraliter loquendo, hoc est illis necessarium. Atque hinc facile probatur altera pars conclusionis, quod frequenter docet Patres supra citati: & est res omnino certa, quia non est dubium, quin possit interdum accidere, vt fidei catechumeno, vereque penitenti, & in extrema vitæ necessitate posito desit copia Baptismi, reliquo tempore vitæ vsque ad mortem. Hoc enim humanum est, neque est, quod singamus miracula aut extraordinariam Dei providentiam, vt euidenter huiusmodi pericula & naturales defectus, ipsaque experientia docet, hoc sæpe accidisse in necessitate Sacramenti baptismi, & frequenter in Sacramento penitentia. Post ergo huiusmodi euentu, necesse est, huiusmodi hominem per contritionem iustificatum sine reali susceptione Baptismi saluari, quia vera iustitia vsque ad mortem conseruata perducit hominem ad regnum cælorum. Conseruatur autem vsque ad mortem, si nullum peccatum mortale interueniat, qui autem omittit Baptismum ob solam impotentiam, in hoc nõ peccat, & simul potest alia peccata vitare, cum sit iustus, & auxilium Dei illi non desit. Ergo si id faciat, saluabitur ex vi iustitiæ comparatæ per contritionem & baptismum in voto, etiam si decedat absque Baptismo in re suscepto. Dices ergo, si in aliqua debita oportunitate catechumenus ex negligentia Baptismum omittat, vt mortaliter peccet, & amittat iustitiam, postea non poterit saluari, si baptizari non possit. Respondetur, si post priorem culpabilem omissionem illius peccati vere coneratur, non minus poterit per illam secundam contritionem, & Baptismi votum saluari, quãdo deest copia Baptismi, quam prius possit, si eadem necessitas occurrisset. Nam Baptismus flaminis iterabilis est, & præter quamcunquẽ contritionem remittitur culpa, etiam si sæpius iterata sit, & comparata iustitia, quæ postea non amittitur absque nouo peccato.

Sed obici possunt contra dicta varia Sanctorum testimonia. Primum sit, quod Siricius Papa, & alij antiqui Pontifices monent, non esse negandum alicui Baptismi testimonium

Obiectio.

Diligent.

Obiectio.

Respondetur.

Impugnatur conclusio ex variis Sanctorum Baptismi testimoniis



Baptismum in necessitate existentem, ne ob defectum necessarii remedij regno cœlorum priuetur: sentiunt ergo Baptismi susceptionem esse necessariam ad obtinendam gloriam, nec sufficere desiderium eius, alioqui nullum crearetur periculum homini petenti Baptismum ex denegatione illius, quia per suum desiderium posset saluari. Secundo Ambr. libr. de his qui initiantur cap. 4. Credit, inquit, catechumenus, sed nisi baptizetur, remissionem peccatorum non potest obtinere, neque gratiæ munus haurire. Tertio, Aug. lib. 4. de Baptismo, c. 21. inquit: Deest bono catechumeno Baptismus ad capeendum regnum cœlorum, sicut deest malo baptizato vera conuersio: qui n. dixit: Nisi quis renatus fuerit, &c. dixit et, nisi abundauerit iustitia vestra, plus quam Scribarum & Phariseorum, &c. sicut ergo malo baptizato in re ipsa necessaria est conuersio, vt saluus fiat, ita bono catechumeno re ipsa necessarius est Baptismus, vt regnum cœlorum obtineat. Vnde idem Aug. tract. 13. in Iohannē. Quantumcumq; ait, catechumenus proficiat, adhuc farcinam iniquitatis suæ portat, non illi dimittitur, nisi cum peruenerit ad Baptismum. Vbi per farcinam iniquitatis videtur intelligere reatum amittendi regnum cœlorum ex peccato contractum. Vnde li. 3. de anima, & de eius origine c. 9. indicat, credendum non esse, catechumenum sine Baptismo mortuum ad beatitudinem peruenisse, & lib. de Confessione cap. 4. de seipso dicit, quamuis ante Baptismum fidem haberet, deque peccatis commissis pœniteret, nunquā de obtentā illorum remissione fuisse securum, donec illam in Baptismo esset assecutus. Quarto Fulgentius de fide ad Petrum, c. 3. circa finem: Ex illo, inquit, tempore, in quo Saluator dixit: Nisi quis renatus fuerit, &c. absq; Sacramento baptismatis, præter eos, qui in Ecclesia sine baptismate, pro Christo sanguine fundit, nec regnum cœlorū potest quisquā accipere, nec vitā æternam. Vbi notanda est illa exceptio, quæ (vt Iurista dicunt) firmat regulam. Igitur ex sententia Fulgentij solus Baptismus sanguinis sufficit, sine Baptismo aquæ ad obtinendum regnum cœlorum.

Ambr.

August.

Fulgens.

Gennadi.

Nazianz.

Richard.

Hugo de S.

Victore.

Quinto, eandem sententiam difficillime confirmat Gennadius lib. de Ecclesi. dog. c. 74. dicens: Baptizatis tātum iter esse salutis credimus: Nullū catechumenum, quamuis in bonis operibus defunctum, vitā æternā habere credimus, excepto martyrio, vbi tota baptismi Sacramenta complentur. Sexto Nazianz. orat. de baptis. circa mediū dicit: Catechumenos esse in vestibulo pietatis, ad quam per baptismū intrant. Vnde subdit inferius. Quid autem, in quies, quosdam priuari baptismum vel propter infantiam, vel propter inopinatum aliquem casum, quo efficitur, vt neque cupientibus gratia potiri liceat? Et inferius concludit huiusmodi homines, nec cœlesti gloria, nec supplicii à iusto iudice affici, vt pote, qui licet signati non fuerint, improbitate tamen carent, atq; hanc aucturā passi potius fuerint, quam fecerint. Septimo, asserere possumus Richardum & Hugonem Victorinum, qui de sacramen. Pœnitent. dixerunt, per solam contritionem & votum eius non omnino remitti æternæ pœnæ reatum, nisi sacramentum ipsum suscipiatur. Videtur enim eadem ratio esse de Baptismo.

Hæc Patrum testimonia, generatim loquendo, partim intelligi possunt eodem modo, quo verba Evangelij, partim sunt pie exponenda, de illo, qui Baptismum voluntarie omittit, cum possit ante mortem illum suscipere, partim vero sunt corrigenda, quia nonnulla certe commodam expositionem non admittunt. Sed facilius omnia expendantur, si per singula verba breuiter discurremus. Ad primum respondetur, quamuis possit quis sine Baptismo saluari ob impotentiam recipiendi illum, multo tamen certior esse salutis consecutionem, si homo sine Baptismo non decedat, quia vera contritio difficilis valde est, & ideo in magno periculo constituitur fidelis, si tempore necessitatis ei Sacramentum denegatur.

Nam fortasse illo suscepto saluabitur, & sine illo condemnabitur, non quia impossibile sit sine illo saluari, sed quia fortasse veram contritionem non habebit, & hoc periculum merito docent esse cauendum Siricius & alij Pontifices. Adde sacramentum ipsum, per se loquendo, esse necessarium, & ideo negandum non esse tempore necessitatis ab Ecclesia ministris. Nam sicut fidelis tenetur illud accipere in illo præterito articulo: ita & ipse tenetur illud ministrare, si moraliter possint. Ad secundum respondetur, Ambrosium exponendum esse de Baptismo in re, vel in voto. Sola enim fides non sufficit catechumeno ad remissionem peccatorum, & gratiam consequendam, nec Pœnitentiæ suæ contritio illi sufficeret, nisi votum baptismi includeret. Ad tertium respondetur, non oportere similitudinem in omnibus tenere. Bono ergo catechumeno adhuc deest Sacramentum baptismi, per se loquendo, & in hoc tenet comparatio inter illum & baptizatum peccatorem, qui indiget conuersione. Est autem differentia, quod vera conuersio possit semper re ipsa exhiberi: vnde non potest in solovoto sufficere: imo si proprie loquamur, non potest contineri in voto, id est, aliquo alio priori actu, qui non sit ipse supernaturalis conuersio in Deum, & auersio à peccato propter Deum. Cum enim ipsa interior conuersio sit vltima dispositio ad gratiam, non potest sine illa obtineri secluso Sacramento, quia non potest forma introduci sine vltima dispositione: at vero exterior susceptio sacramenti, neque est ex natura sua dispositio ad gratiam, sed solum ex institutione est necessaria, nec semper est in hominis potestate, & ideo interdum potest votum illius sufficere. Ad alterum locum Augustini, qui reuera difficilis est, respondetur, per farcinam iniquitatis non potuisse Augustinum intelligere reatum æternæ pœnæ, cum per se satis constet, hunc reatum tolli cum ipsa culpa, quod tam est frequens apud Augustinum, vt verisimile non sit, eum in hoc dubitasse: Possumus ergo per farcinam iniquitatis intelligere reatum aliquem pœnæ temporalis. Vnde dicit, hanc farcinam non remitti nisi in ipso Baptismo, quia ex ordinaria ac certa lege plenaria remissio totius culpæ & pœnæ non nisi per Sacramentum datur. Vnde fit, vt regulariter loquendo, catechumenus, qui per solum interiore actum iustificatur, semper maneat obnoxius alicui temporali pœnæ. Vel, si hoc non satisfacit, quia non est in vniuersum necessarium, dici potest catechumenus iustus portare farcinam iniquitatis, quia licet illi sint remissa peccata, tamen id factum est in ordine ad baptismum suscipiendum, ad quod manet obligatus, & ideo, donec Sacramentum re ipsa suscipiat, non censetur omnino liber ab illo onere, quod dici potest ex peccatis ortum, quia ob remissionem peccati positum est. Atque hæc etiam ratione non censetur catechumenus secundum presentem statum satis expeditus & aptus ad regnum cœlorum, sed necesse est, vt per ipsum sacramentum amplius se disponat, si tamen possit. Tertius Augustini locus facilius est: Solum enim dicit, infantes non posse sine Baptismo saluari, quod postea videbimus, indicat tamen eandem esse rationem de adultis. Nam obiicit de bono latrone, qui sine Baptismo saluatus est: & de quodam Dinocrate fratre sanctæ Perpetuæ, qui mortuus fuit sine Baptismo, & tamen precibus sororis suæ salutem est consecutus: & de latrone quidem responderet, fortasse fuisse baptizatum, non tamen necessarium erat Augustino de latrone esse sollicitum, quia tunc nondum erat baptismus ad salutem necessarius. De Dinocrate vero similiter respondet Augustinus fortasse fuisse baptizatum: Post baptismum autem peccasse, & ideo post mortem fuisse in pœnis, de quibus sorore orante liberatus est. Sed si sit sermo de pœnis inferni, non video cur sit credibilis ab eis fuisse liberatum per orationem sororis, si decessit baptizatus, quam si catechumenus, quia secundum legem ordi-

ordinariam, rā impossibile est saluari sine Pœnitentia post peccatum commissum post Baptismum, quam sine Baptismo ratione peccati originalis, & altorum, qui possunt Baptismum antecedere. Si vero sit sermo de penis purgatorij, sicut potuit ad illas peruenire iam baptizatus propter peccata commissa post Baptismum, ita etiam potuit catechumenus ad eandem penas deduci, si per contritionem iustificatus fuit, non tamen ita perfecte, vt plenā remissionē peccatorum obtineret. Potuit ergo Dimocrates ab illis penis, sororis orationibus liberari, etiam si catechumenus mortuus fuisset. Quæ ratio, vt verum fatear, conuincit responsum Augustini, et si sufficiens fuerit ad eludendam & eneruandam obiectionem, non tamen fuisse necessariam: faciliusq; potuisse respondere per distinctionem Baptismi in re, vel in voto, si illius meminisset. Quamuis autem de illa tacuerit, nunquā tamen eam negauit nec negare potuit, cū ex doctrina eius, & ex alijs locis supra citatis, constet in casu necessitatis, votum Sacramenti sufficere, Deumq; implere, quod non voluntas, sed necessitas abtulit, vt *Valdens.* ex doctrina eiusdem Augustini late docet *Valdens.*, tom. 2. de sacramentis cap. 97. & 98. Quartus locus Augustini eandem habet responsum, quæ primo loco ad Siricum data est. Merito enim ante Baptismū erat sollicitus de obtenta remissione peccatorum, qua accepto Baptismate, multo facilior est, atq; securior. Ad quantum respondetur, dictum Fulgentij esse verum, intelligendum tamen esse per se, ac inclusa necessitate & impotentia, vel quod idem est de Baptismo in re, vel in voto, quando in re non potest applicari. Quod vero solum excipit martyrium, fortasse ideo est, quia sub Baptismo aquæ votum ipsius comprehenditur, vel etiam id fecit ad commendandam excellentiam & speciale priuilegium martyrij, quod non solum saluat, vt votum Baptismi aquæ, sed quodammodo etiam vi sua, vt inferius latius explicabimus: vel etiam dici potest, neminem sine Baptismo mortuum: statim accipere regnum cœlorum, excepto martyrio, quia, vt supra dicebam, non sit plena remissio in voto Sacramenti sine ipso Sacramento: quod tamen priuilegium soli martyrio commune est. Hęc vero vltima responsio, neq; est iuxta mentem Fulgentij, qui non loquitur de tempore, seu mora consequendi regnum cœlorum, sed absolute de consecutione illius, neq; est vniuersaliter vera, sed solum regulariter, vt supra dictum est. Ad sextum ex libro de Ecclesiasti. Dogma. Diuus Thomas quæst. præc. art. 2. ad 2. addit vltimam responsum, quam nuper dedimus ad Fulgentium, sed valde dubito, an sit ad mentem authoris propter ea, quæ dicta sunt, & quia loquitur de Catechumeno in bonis operibus defuncto. Fieri autem potest, vt catechumenus per bona opera sua ita satisfaciatur pro peccatis suis, vt statim in cœlum euolet: Ideo responderi potest, Gennadium loqui de catechumeno habente quidem alia bona opera: voluntarie tamen, seu negligenter omittente Baptismum. Ita respondet Glossa ibi. & in cap. Baptismi, de consecratio. dist. 4. Non tamen videtur posse accommodari, quia hoc modo non haberet locum exceptio martyrij, quia si quis voluntarie Baptismum omitteret, etiam per martyrium saluari non posset. Teneur enim fidei confessor, si baptizatus non est, prius baptizari, quam martyrium subeat: & ideo si voluntarie Baptismū omittat, nihil illi proderit martyrium: Quod si dicas, posse tunc prodesse martyriū, si Baptismus iam non sit in potestate, & prioris omissionis hominem poeniteat. Sed hoc idem est in Baptismo flaminis, vt supra diximus. Necessario ergo retinenda est D. Thomæ responsio, dum melior non occurrerit, & sententia illa moraliter ac regulariter intelligenda est, vt rēpius est dictum. Septimum Nazianzeni testimonium vix habet interpretationem vliam. Nam aperte loquitur de adulto: nam sermo nem habet de illo, qui per proprium actum de-

Franc. Suarez Tom. 3.

rat Baptismum. Item, manifeste tractat de illo, qui sine vilo peccato suo, Sacramento caret, & hunc dicit non peruenire ad regnum cœlorum, & quod obsecurissimum est, distinguit tres ordines adultorum Baptismo carentium. Nam alij sunt Baptismi contemptores, alij non tam animi prauitate, quam stultitia à Baptismo aberrarunt, post rem denique abfq; probitate passi sunt potius, quam fecerunt Baptismi iacturam, & de his postremis, inquit, nec cœlesti gloria, nec supplicijs à iusto iudice esse afficiendos. Quem locum nonnulli de infantibus explicare volunt, illos solos in illo tertio ordine constituentes. Sed hoc reuera est præter mentem Nazian. qui non solum infantes, sed etiam aliquos adultos in illo ordine numerat, sic enim ait: Alij ne accipere quidem possunt, vel propter infantiam fortasse, vel propter inopinatū prorsus, & violentum aliquem calum, quo efficitur, vt neq; cupientibus quidem gratia potui liceat. Possimus autem vtunque exponere Nazian. de illis adultis, qui desiderant quidem Baptismum, non tamen sufficienter se disponunt ad gratiam consequendam. Hi enim propter solum desiderium, regnum cœlorum non assequuntur. Quod si contingat, eos peccata actualia non commisisse (quod raro vel fortasse nunquam eueniet) non afficientur supplicio, scilicet quoad penam sensus: aut si alia peccata commiserint, punientur quidem propter illa, non tamen propter carentiam Baptismi. Ad vltimum ex Rich. & Hugone de S. Victo. respondetur, falsum esse eorum sententiam, vt latius ostendemus, tractando de Sacramento Pœnitentiæ.

Supere est vero dubium circa præcedentem doctrinam, quale requiratur Baptismi votum ad remissionem peccati obtinendam abfq; reali susceptione sacramenti, cumq; certum sit, requiri veram peccatorum contritionem, seu amorem Dei super omnia difficultas solum esse potest, an præter hos actus requiratur proprium desiderium, & explicitum propositum suscipiendi Baptismum, quod propositum expressam cognitionem & fidem Baptismi requirit: an vero sufficiat implicitum desiderium, quod in ipsa contritione & in generali proposito seruandi omnia mandata continetur. Quod dubium tractari etiam solet de confessione, seu proposito confitendi peccatum mortale post Baptismum commissum. Nam quoad hoc, eadem est vtriusq; Sacramenti ratio, quia æqua est vtriusque necessitas in ordine ad suum effectum. Tres igitur possunt esse dicendi modi: Primus est, tam ad iustitiam, quam ad gloriam obtinendam esse necessariū expressum desiderium Baptismi. Huius vero opinionis, neq; authorem inuenio, neq; fundamentum. Quamuis Soto interdum videatur ex parte illi fauere: nam licet hic dist. 5. artic. 2. post medium solum implicitum votum exigere videatur, tamen infra dist. 12. quæst. 1. art. 5. sub distinctione dicit his, qui non habent notitiam Baptismi, sufficere implicitum votum eius: his vero, qui iam habent Baptismi fidem, necessarium esse votum implicitum, quia tenentur, quam primum possint, Baptismum suscipere. Sed reuera hæc ratio nullius momenti est. Nam quamuis fidelis, dum recogitat sua peccata & de illis dolet, non proponat expresse suscipere Baptismum, potest postea baptizari tempore debito. Sicut etiam tenetur restituere alienum, cum primum possit, & tamen non oportet, vt hoc expresse proponat, cum iustificatur, sed sufficit generale propositum seruandi mandata. Quod si non mutetur, sufficere, vt postea opportunis temporibus impleantur. Deinde sicut is, qui caret notitia Baptismi excusatur ab hoc expresse proposito propter ignorantiam, ita, qui habet iam fidem huius sacramenti, poterit excusari ab expresse desiderio propter actuale inconsiderationem. Fieri enim potest, vt subito excietur ad considerationem diuinæ bonitatis, & suorum peccatorum, quibus illam ostendit, nihil prorsus tunc de Ba-

Bb

pismo

Dubitatio.

Tres dicendi modi proponuntur. Primum.

Impugnatur hic motus. duo dicendi.

primo considerans, atque ita mouetur in Deum per veram conuersionem, & poenitentiam. Ergo tunc iustificabitur sine alio explicito desiderio Baptismi: Quin potius excogitari potest casus, in quo etiam si Baptismus memoria occurrat, non oporteat propositum seu desiderium explicitum eius concipere, vt si huiusmodi homo in extremo mortis articulo constituitur, in quo iudicet sibi iam esse impossibile baptizari, ille certe tunc non tenetur absolutum propositum suscipiendi Baptismum habere. Est enim illud impossibile, quia iam hic & nunc res iudicatur impossibilis: neque etiam videtur necessarium, vt habeat propositum conditionale, scilicet, propono baptizari, si hoc periculo eripiar: vel aliter: vellem baptizari, si possem. Nam huiusmodi actus nullius fere momenti aut fructus sunt in eo casu, in quo apprehenditur conditio, vt impossibile, & nunquam exequenda. Erit ergo tunc vtilius in Dei amore, & peccatorum detestatione prorsus occupari. Non est ergo alius actus necessarius, neque afferri potest fundamentum sufficiens huius necessitatis. Quocirca etiam extra praedictum necessitatis articulum, & posita cognitione & cogitatione Baptismi, non videtur specialiter necessarius hic actus ex vi alicuius specialis praeccepti, aut institutionis, propter quam, per se loquendo, sit necessarius hic actus ad iustificationem, sicut sunt amor Dei, & dolor de peccatis, & propositum non peccandi de cetero. Quamuis moraliter vix fieri possit, quin homo iam credens, & amans Deum, & proponens illi placere in omnibus, si simul actu cogitet de baptismo, eiusque necessitate, statim illum desideret, ac proponat suscipere, cum primum possit. Haec tamen moralis necessitas magis oritur ex propensione voluntatis suppositis prioribus actibus, quam ex speciali institutione, aut praeccepto habendi statim talem actum, vt dixi: quia hoc reuera neque est expresse traditum aut scriptum, nec necessario sequitur ex institutione ac necessitate Baptismi, vt ostensum est.

2 dicendi modus.

Cano.

Secundus modus dicendi alia distinctione vtitur: nimirum ad comparandam iustitiam in hac vita, non esse necessarium desiderium explicitum, sed sufficere implicitum: ad obtinendam vero gloriam in alia vita, necessarium esse, vt in hac vita aliquando praecedat explicitum Baptismi desiderium. Ita sentit Cano relectione de Sacramentis in genere, part. 2. & electione de poenitentia part. 1. qui videtur fundari in hoc, quod de necessitate fidei explicitae Christi ad iustitiam vel gloriam, simili distinctione vsus est. Veruntamen haec distinctio nec de fide ipsa habet fundamentum, & multo cum minori probabilitate ad Baptismum applicatur, si sermo sit de necessitate simpliciter. Nam per se loquendo, interior dispositio, quae sufficit ad iustitiam, potest etiam sufficere ad gloriam, si non occurrat noua aliqua obligatio absque excusatione, vel impedimento implendi illam. Sed fides & voluntas implicita Baptismi sufficit ad iustificationem. Ergo potest etiam sufficere ad gloriam, quia potest contingere, vel propter vitam breuitatem, aut alia extrinseca impedimenta, non possit homo maiorem fidei notitiam consequi, aut certe vt necessarium non sit neque opportunum, illud Baptismi desiderium exercere, vt etiam contra priorem dicendi modum argumentabamur. Deinde est in hoc magna differentia inter fidem Christi, & desiderium baptismi. Nam illa per se, & propter se est necessaria explicitae in lege gratiae, & ideo licet ex accidenti possit sufficere implicita ad iustitiam, tamen semper manet obligatio & necessitas habendi fidem explicitam Christi in hac vita, si fieri potest, tamen desiderium, seu propositum Baptismi non exigitur propter se, sicut fides, sed propter externam susceptionem ipsius Sacramenti: & ideo si non occurrat opportunitas, nec spes obtinendi ipsum sacramentum, non est, cur sit necessarium expressum desiderium eius. Denique Baptismus in re susceptus non est necessarius ad gloriam obtinendam, quia inter-

dum potest propter necessitatem, & occurrence impedimenta, sine illo obtineri. Sed etiam possunt occurrere impedimenta, propter quae non possit homo habere votum explicitum Baptismi. Ergo eadem ratione non erit necessarium tale votum ad obtinendam gloriam.

Tertius ergo dicendi modus & verus est, tam ad iustitiam, quam ad gloriam consequendam sufficere posse implicitum votum Baptismi. Quem docuit Vega lib. 5. in Trid. cap. 14. & sumitur ex S. Thom. supra quaest. 68. art. 2. & clarius in hac quaest. 69. art. 4. ad 2. Cuius fundamentum satis constat ex dictis contra praecedentes sententias, scilicet: quia sufficiens dispositio ad gratiam potest haberi cum voto implicito in ipsa contritione incluso, vt significauit Trid. sess. 6. c. 1. 6. & 7. & clarius sess. 4. ca. 4. gratia autem comparata s. Thom. per hanc dispositionem potest durare vsque ad mortem sine nouo desiderio Baptismi, atque etiam sufficere ad vltimam salutem. Sed de hac re plura dicturi sumus in materia de poenitentia.

SECTIO III.

Vtrum Baptismus re ipsa susceptus sit infantibus necessarius ad salutem.

Haec quaestio accipienda est, secluso privilegio martyris, atque in hunc sensum accipienda sunt, tam quae in praecedenti sectione sunt dicta, quam quae in praesenti dixerimus, ne id sapius oporteat monere. Fuit ergo quorundam sententia asserentium, paruulos posse sine Baptismo saluari, & vitam aeternam consequi. Hoc docuerunt Pelagiani, qui, cum negarent originale peccatum, negarunt etiam paruulos indigere baptismo ad remissionem peccatorum: de quibus, & de alijs haereticis negantibus vtilitatem, vel necessitatem Baptismi, satis in superioribus dictum est: nunc solum cum Catholicis est disputandum: qui cum fateantur, paruulos indigere Baptismo, esseque simpliciter loquendo necessarium ad salutem, quia verba Christi Domini, Ioannis 3. & definitiones Conciliorum & Sanctorum id conuincunt: nihilominus arbitratur, interdum paruulos posse saluari sine Baptismo, si casu aliquo, vel fortuito euentu contingat, vt illis non possit applicari. In hac vero sententia asserenda, duo possunt modi excogitari: prior est, hoc non esse regulare, neque secundum legem ordinariam a Christo Domino itatutum: tamen interdum ex misericordia Dei & speciali dispensatione privilegium hoc aliquibus concedi. Ita sentit Aristodorus in sum. lib. 4. tract. 3. cap. 4. Alenf. 4. part. quaest. 13. art. 1. & Syluester verbo, Baptismus, primo, nume. 5. & 7. qui specialiter loquuntur in eo casu, in quo Baptismus exterius administrari incipit, tamen in eo committitur defectus essentialis, aut in materia, aut in forma, aut in intentione ministri. Tunc enim existimant, quamuis Baptismus nullus sit, pie tamen credi, Deum supplere effectum eius: ex quo fit consequens, infantem sic baptizatum saluari sine Baptismo: quia reuera ille Baptismus nullus est. Pro qua sententia citari possunt alij auctores, qui generatim de Sacramentis ita sentiunt, quando in eis committitur defectus essentialis, quos citauimus supra tractando de sacramentis in genere. Eandem sententiam absolute docet Bonaventura in 4. distinct. 4. articulo 4. quaest. 1. ad vlt. qui solum dicit, hanc esse legem communem, sed ex privilegio, posse aliud fieri, sicut in sanctificationis vetero: idemque sentit Gabriel ibi. quaest. 2. art. 3. dub. 2. circa finem, & Gerson tom. 3. suorum operum, sermone de Nativitate Mariae, consideratione 2. vbi dicit, debere parentes fundere preces pro filijs infantibus, si forte casu aliquo morituri sint ante Baptismum, vt Christus in eis gratiam suppleat, quia non est omnino ablata spes, quamuis absque revelatione nulla possit esse certitudo. Fundamentum huius sententiae solum

cia solum est, quia Christus statuendo ordinariam legem de necessitate Baptismi non abtulit sibi potestatem dispensandi, & gratiam suam communicandi per potestatem excellentiae, quae non est alligata Sacramentis. Ergo pium est credere, ita interdum facere, vel ob parentum iustorum deprecationem, vel ad offensionem gratiae suae.

Secundus modus asserendi hanc sententiam est, non solum interdum speciali privilegio, sed semper accerta lege id fieri, ut paruulus, qui in aliquo casu fortuito baptizari non possit, per aliud remedium saluari possit, videlicet per idem parentum ei applicatam quolibet religioso signo externo, ut, v.g. signo Crucis cum inuocatione Trinitatis, vel alio simili.

*Caietanus.* Hanc sententiam docuit inter Catholicos solus Caietanus, quae est. 68. artic. 2. qui hoc modo videtur legem Christi interpretari, quasi addendo illi conditionem, scilicet, Baptismum esse paruulis necessarium, si possit illis applicari. Aut melius dicere posset, Baptismum esse paruulis necessarium in re, vel in voto. Atque hinc possumus fundamentum huius sententiae inchoare. Nam lex de necessitate Baptismi aequae vniuersaliter proposita est pro adultis ac pro paruulis, & nihilominus in adultis explicatur de Baptismo in re, vel in voto. Ergo eodem modo explicanda est in paruulis, qui imbecilliores, & indigentiores sunt, quam adulti, si tamen eis potest commode applicari dicta distinctio. Quod autem possit, ita declaro, quia voluntas parentis reputatur voluntas paruuli, nam, ut inquit Prosper lib. 2. de vocatione gentium, cap. 8. Omnia exordia paruulorum sub arbitrio iacent voluntatis alienae, neque illis vilo modo, nisi per alios consuli potest, & consequens est, illos ad eorum pertinere consortium, quorum vel recto, vel prauo reguntur affectu. Sicut ergo adultus per voluntatem propriam habet votum Baptismi, ita infans poterit illum habere per voluntatem parentis, praesertim si applicetur illi aliquo signo externo, quod poterit etiam dici continere huiusmodi votum, quasi ex opere operato, sicut multi dicunt, Baptismum continere votum Eucharistiae. Et confirmatur haec sententia primo, quia Christus Dominus potuit instituire necessitatem Baptismi, & dare legem eius hoc sensu, & cum praedicta exceptione: & verba Euangelij videntur sufficienter explicari dicto modo. Atque hoc prouidentiae genus videtur futuuius, & sapientiae ac charitatis Christi magis consentaneum. Sic enim melius erit prouisum necessitati paruulorum: & alius

*Tandem*

*2. Confir.*

*2. Confir.*

*Bernardus*

vero ultra, penes Deum est, non meum definire. Ecce non audeat Bernardus negare, posse interdum Sacramentum antiquum prodesse paruulis in lege gratiae, & post Euangelium sufficienter promulgatum. Ergo hoc maxime probabile est de Sacramento legis naturae, & in articulo necessitatis, non ut erat Sacramentum illius legis, sed ut continet votum Baptismi. Quod etiam confirmat & declarat exemplum adultorum, qui si nunc baptizari non possint re ipsa, saluari possunt eodem remedio, quo saluabantur in lege naturae, scilicet, eadem fide & contritione, non tamen eadem ratione & consideratione, sed prout nunc includunt votum huiusmodi explicitae Christi & Baptismi. Quid ergo mirum, si idem dicamus de paruulis, seruata proportione, cum hi sint magis innocentes, nec sit vlla ratio, cur eis magis limitetur remedium salutis, quam adultis? Ac demum, quia sicut adultus per suam voluntatem facit, quod in se est, ita potest facere paruulus per voluntatem parentis. Tandem confirmatur haec sententia, quia alias sequitur, infantes decedentes in vteris matris, nullo modo posse saluari in lege gratiae, quia non possunt tingi aqua, neque ablutio matris potest esse materia Sacramenti Baptismi, respectu filij, ut in superioribus ostensum est, Consequens autem videtur durissimum, ut idem Caietanus notauit superiori quaestione art. 11. scilicet quod diuina prouidentia reliquerit homines sine remedio salutis in quodam statu, in quo quam pluribus ex hac vita discedere necesse est. Neque enim refert, si dicamus in eo statu infantem esse, veluti partem matris, & ideo non esse capacem proprii remedij. Nam reuera non ita est. Est enim suppositum a matre distinctum, & ideo capax propriae culpae originalis distinctae a culpa matris: & similiter propriae sanctificationis. Vnde fit, ut saepe mater possit esse iusta, & infans sit in peccato, & e contrario potest filius in vtero matris sanctificari, etiam si mater non esset sancta: Est ergo capax proprii remedij contra originale peccatum. Etenim si culpa Adae communicatur filio in vtero matris, & hoc fit ordinaria lege, ac via, multo magis poterit esse aliquod remedium, quo eidem applicetur gratia Christi, cum eius meritum efficacius sit, quam demeritum Adae. Ergo non est, cur dicamus, clausam esse his infantibus salutis viam in lege gratiae: potuerunt ergo sine Baptismo saluari.

*3. Confir.*

*Quomodo infantes in lege gratiae non possint saluari. D. Thom.*

Dico primo, infantes, qui ante usum rationis moriuntur, tempore legis gratiae sufficienter promulgatae, non posse saluari secundum legem ordinariam, nisi re ipsa eis applicetur verum ac validum Baptismi sacramentum. Haec est sententia Diui Thomae superiore quaestione, articulo secundo, vbi nullum censet esse possibile votum Baptismi, nisi in his, qui per proprium actum possunt cognoscere & desiderare: & infra quaestione 73. artic. 3. dicit ante Baptismum susceptum non posse paruulum habere baptismum in voto, & ideo non posse rem sacramenti sine ipso sacramento obtinere: idem 1. 2. quaestione 113. articulo 3. ad primum, & in 4. dist. 4. quaest. 3. articulo 3. quaestiu. 2. ad 3. & quodl. 6. ar. 4. vbi in terminis tractat quaestionem de casu necessitatis, & haec etiam est communis sententia Doctorum in 4. dist. 4. Scoti, Durandi, Richardi, Paludani, Capreoli, & aliorum, Soto dist. 5. articulo 2. Vega lib. 5. in Tridentinum capite vltimo. V Valdenis 2. tom. de sacramentis cap. 99. vbi inter errores VViclef. ponit, quod dubitauerit, an paruulus sine Baptismo mortuus damnetur, Vega. Tandem Castro libr. 3. contrahareses, verbo, Baptismus, haeresi. 9. sententiam Caietani, ut haereticam damnare videtur, & reuera est valde aliena a sensu & dogmatibus Ecclesiae, & ideo, ut minimum, est temeraria, & errori proxima: eamque ob causam merito Pius V. hanc Caietani sententiam a commentarijs Pii V. Diui Thomae expungi fecit in Romana impressione. Exploditur Praecipuum fundamentum huius sententiae lumen, dum est ex verbis Christi: Nisi quis renatus fuerit, &c.

*Scotus. Durandus. Richardus Paludanus Capreolus. Soto. Vega. Valdenis Castro.*

*Pius V. Diui Thomae expungi fecit in Romana impressione. Exploditur Praecipuum fundamentum huius sententiae lumen.*



quæ non licet vnicuique proprio sensu & arbitrio interpretari, sed iuxta proprietatē verborum, & iuxta Ecclesie sensum, & Sanctorum Patrum, quorum nullus addidit exceptionem illam, quam Caietanus contra verborum vim adiunxit, faciens ex propositione absoluta conditionatam, nam Christus absolute dixit: Nisi quis renatus fuerit, &c. ipsa verbo addit conditionem, si fuerit possibile, abique vllō testimonio, vel autoritate. Nec maius pondus autoritatis habet alia interpretatio de Baptismo & voto respectu paruulorum. Nullus enim Sanctorum agnouit votū Baptismi, nisi in adultis, idē merito, vt commodius infra dicam, respondendo ad fundamenta contrariae sententiae. Est ergo lex lata à Christo simpliciter, & absolute intelligenda, vt verba sonant. Per eam autē plane excluduntur à regno caelorum omnes paruuli, qui sine Baptismo moriuntur. Vnde Augustinus libro de natura & gratia, cap. 8. tractans de paruulo in eo loco nato, ac mortuo, vbi baptizari non potuit, sic inquit, Absoluat eum Pelagius, & aperiat ei contra sententiam Domini regnum caelorum, sed non absoluat eum Apostolus, dicens: per vnum hominem peccatum intrauit in mundum, & per peccatū mors, & similem doctrinam habet lib. de bono perseuerantiae c. 12. Nec refert, quod directe scribit contra Pelagium. Nam licet diuerso modo & ratione, tamen in hoc conuenit sententia Caietani cum sententia Pelagij, quod absoluit huiusmodi infantem, eiq; regnum caelorum aperit, & hoc est, quod simpliciter damnat Augustinus docens, esse verbis Christi contrarium. Vnde libro 1. de anima & eius origine. cap. 9. & libr. 2. cap. 12. refert sententiam cuiusdam Vincentij Victoris, qui cum non negasset peccatum originale in paruulis (in quo à Pelagio differbat) nihilominus his paruulis, qui morte praueeniuntur prius, quam baptizentur in Christo, ausus fuit eis promittere, non solum Paradisum, verum etiam regnum caelorum, & ideo aiebat, pro eis oblationes assiduas, & sacrificia sanctorum Sacerdotum iugiter esse offerenda, & subdit Augustinus, illum haeticum plus fuisse ausum, quam Pelagium. Nam hic non est ausus promittere paruulis non baptizatis regnum caelorum, sed nescio, quam aliam aeternam vitam, seu felicitatis locum: Vincentius autem etiam regnum caelorum eis concedere ausus est, contra regularem legem Christi, ait Augustinus concludens: Nunquid in hac causa erroris audaciam, temeritatem, praesumptionē habere, quisquam posset amplioem? & ideo lib. 3. c. 9. ita definit. Noli credere, noli docere, infantes morte praueentos, antequam baptizentur, peruenire posse ad originalium indulgentiam peccatorum, si vis esse Catholicus: in quibus verbis iam non contra Pelagium, sed contra Caietanum scribere videtur. Non. n. dicit, noli docere, infantes carere originali peccato, sed noli docere, stante lege Christi, posse illis remitti sine Baptismo. Atque hoc aperte confirmat Ambrosius lib. 2. de Abraham cap. vltim. vbi tractans verba Christi: Nisi quis renatus: Vtique, inquit, nullum excipit, non infantem, non aliqua praueentem necessitate, nemo ascendit in caelum, nisi per Sacramentum Baptismi, & quia omnis aetas peccato est obnoxia, ideo omnis aetas est huic Sacramento idonea. Sic etiam Isidorus lib. 2. de diuinis officijs, ca. 24. de Baptismo, Paruulis, inquit, Baptismus proficit, vt à peccato originali abluantur, quod ab Adam prima natiuitate contraxerunt, qui, si prius quam ex aqua & Spiritu sancto regenerentur, trāsierint, procul dubio à Salvatore nostro Christo alienati sunt, testante Domino: Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto. Atq; in eandē sententiam scribit Gregorius libr. 7. epist. 53. versus finem, vbi respondet huic quaestioni sibi propositae de paruulis morte praueentis ante Baptismum susceptum, dicitq; esse rem certam, eos nō ingredi regnum caelorum, ex lege à Christo lata, atq; idem tradit Innocentius III. in cap. Maiores. de Baptismo, & Con-

Non est  
votum Ba-  
ptismi nisi  
in adultis.

August.

Pelagius.

In quo Cai-  
etanus cum  
Pelagio  
conueniat.

Vinc. Victo-  
ris.

Ambrosius.

Isidorus.

Gregorius.

Innocentius III.

cilium Constantiense sess. 15. absolute damnat erro-  
ris, dicere, paruulos posse sine Baptismo saluari, & Trid.  
Conc. Trid. sess. 5. Can. 3. definit peccatum originale  
non posse paruulis remitti per aliud remedium, pra-  
terquam per meritum Christi applicatum per Bap-  
tismi sacramentum rite collatum, & capit. 4. dicit, ne-  
cessarium esse, hoc peccatum regenerationis lauacro  
expiari, & sessio. 6. cap. 4. clarius docet, post Euange-  
lium promulgatum neminem iustificari posse sine lau-  
acro regenerationis, sicut scriptum est, Nisi quis re-  
natus fuerit, & sess. 7. Can. 5. absolute definit Bap-  
tismum esse ad salutem necessarium.

Vltimo possumus argumentari ratione, quam  
quam haec conclusio reuera tota posita est in Christi  
voluntate & institutione. Nam ex illa totum hoc ne-  
gotium pendet. Potest tamen in hunc modum ex-  
plicari. Nam infantes saluari non possunt ex opere  
operantis per proprium actum, seu propriam disposi-  
tionem, quia non sunt capaces illius, vt per se no-  
um est, nisi fortasse per miraculum, quod eis attribuere  
vanum esset, & sine vllō fundamento constitutum, vt  
in superioribus etiam dictum est contra huius tem-  
poris haeticos. Rursus nec saluari possunt ex opere  
operato sine Baptismo secundum legem latam: quia  
hic modus consequendi salutem, pendet ex Dei pro-  
uisione & institutione. Non est autem talis prouisio  
facta in lege gratia alteri remedio praeter Baptismum:  
Imo ita huic facta est, vt alia remedia excludantur,  
vnde Augustinus lib. 1. de peccatorum meritis & re-  
missione capit. 25. Nulla, inquit, Praeter Baptismum  
Christi salus permittitur in infantibus, quia infantes, si  
per sacramentum, quod ad hoc est diuinitus institu-  
tum in credentium numerum non transeant, in te-  
nebris manent. Atque in hoc teneri potest proportio  
& similitudo inter paruulos & adultos, quia et-  
iam adulti non possunt ex opere operato iustificari  
ab originali peccato, nisi per Baptismum. In hoc ergo  
parēs esse debent infantes, nam est eadem omnium  
ratio, quia pro omnibus est institutus Baptismus, &  
de omnibus lata est lex necessitatem iuducens. Quod  
vero adulti possint per propriam dispositionem ius-  
tificari cum voto Baptismi intrinsece, requirit facul-  
tatem vtendi ratione, quæ possit diuina gratia exci-  
tari & adiuuari: & ideo in hoc non poterunt paruuli  
illis esse parēs, vt latius dicemus in solutionibus  
argumentorum. Vnde potest haec ratio confirmari,  
simulque excludi fuga vel euasio contrariae sen-  
tentiae. Nam isti paruuli non possunt saluari per Ba-  
ptismum in voto: ergo, si non saluantur per Bap-  
tismum in re, nullum eis superest remedium. Patet  
consequencia, quia ostensum est, Baptismum, sim-  
pliciter loquendo, esse medium necessarium ad salu-  
tem. Antecedens autem probatur, quia votum Ba-  
ptismi habendum est, aut per desiderium eius, seu  
expressum propositum suscipiendi illum, aut certe  
per talem dispositionem ad gratiam, quæ hoc votum  
implicite continet. Quod vero dicitur paternam vo-  
luntatem vel dispositionem reputare votum filij, va-  
num est, & sine fundamento. Nam quod propria  
conscriptio implicite includat votum Baptismi, suppo-  
sita illius lege, non est aliquid extrinsecus superaddi-  
tum, sed ex natura rei consequitur. Nam vera con-  
scriptio includit propositum seruandi omnia praecpta, &  
exequendi omnia necessaria ad salutem, & diuinam  
amicitiam tuendam. Vnde hoc ipso, quod Baptismus  
est praecptus, & necessarius, continetur sub obiecto  
illius propositi, atque hoc modo ex natura rei tale  
propositum continet votum implicite Baptismi, sup-  
posita lege eius. At vero quod voluntas, seu desiderij  
patris proficiat filio tanquam dispositio vel votum  
eius, non potest in ipsa rei natura fundari, etiam  
supposita lege Baptismi. Oportet ergo ostendere  
Christi legem, aut provisionem, qua decreuerit, hu-  
iusmodi patris voluntatem ita acceptari ad salutem  
filij, ac si esset voluntas eius. Nulla autem extat talis  
Christi

Christi promissio, nec vestigium eius. Nam illud principium, quod filij antevium rationis reguntur patris voluntate, neque aliam habent præter illam, non facit est, vt existimemus, totum negotium salutis filij positum esse in voluntate patris, sicut in adultis totum negotium salutis propriè pendet ex propria voluntate. Alias sequeretur primo, Baptismum datum filio contra voluntatem patris non esse validum, nec illi prodesse ad salutem, quod est omnino falsum, vt in superioribus ostendi. Secundo sequitur, si pater desideret filio abundantior gratiam hoc ipso acceptari ad illum effectum, & reputari, ac si esset voluntas ipsius filij, quod est plane falsum, alias crescerent infantes in gratia per desideria vel merita parentum. Vnde è contrario etiam seret, vt per prauam patris voluntatem posset infans iustificatus gratiam amittere, vt si per filium esset idolo, quia voluntas patris æque reputanda est voluntas filij in malis, ac in bonis. Consequens autem est aperte erroneum, vt late tractat Augustinus in Psalmum 23. Tercio sequitur, quod sicut adultus statim iustificatur per votum Baptismi, etiam si non sit in extremo periculo moriendi sine Baptismo, ita etiam infantes hoc ipso, quod parentes illos Deo offerunt, & proponunt eos baptizare, statim iustificentur, etiam si non sint in necessitate, vel periculo moriendi sine Baptismo. Patet sequela, quia est eadem ratio, & proportio, iuxta contrariam sententiam inter propriam voluntatem respectu adulti, & voluntatem patris respectu filij. Eadem ergo voluntas, atque idem votum, quod sufficit in necessitate ad vitam & æternam salutem, sufficit extra illam ad iustificationem. Consequens autem est plane falsum, alioqui fere nunquam infantes acciperent primam iustitiam in Baptismo re ipsa suscepta, sed in voto eius per voluntatem parentum. Vnde veteris sequitur, quod licet postea omitatur baptismus ex negligentia, vel per omnia malitia, nihilominus infans saluatur, quæ omnia sunt valde absurda, & ab Ecclesiæ sensu aliena.

Dico secundo, nullum infantem decedentem sine baptismo saluari ex speciali priuilegio aut dispensatione, vel saltem non posse hoc de aliquo affirmari absque speciali reuelatione sine temeritate. Hæc conclusio sequitur iudicio meo ex præcedenti, eamque docuit Scotus distinct. 15. artic. 2. & colligi potest ex Augustino citatis locis, de origine animæ, & ratio est, quia nobis constat de vniuersali lege in scriptura lata: non ergo potest à nobis dispensatio in tali lege, aut speciale priuilegium affirmari, nisi aut ex eadem scriptura colligatur, aut alia sufficienti autoritate, vel reuelatione constet, præsertim cum non solet Deus his disputationibus vt, & præter legem ordinariam, quasi miraculose operari propter priuatas rationes, seu personalia commoda, aut necessitates aliquorum, sed propter aliquod commune bonum, aut publicum ministerium, seu diuinæ gratiæ commendationem, vt in hac materia dixit Diuus Thomas in 4. distinct. 6. quæst. 1. articulo 2. quæstioncula 2. ad tertium. Et conhrmatur, nam si Deus vellet inuitato, seu miraculose modo operari, facilis illi esset, prouidere viam aut rationem aliquam baptizandi illum, quam cum sine Baptismo iustificare. Sicut magis extraordinarium & miraculosum esset iustificare adultum sine fide, quam extraordinarium modo prouidere vnâ comparandi fidem. Sicut ergo improbabile, ac temerarium esset, dicere, adultum aliquem saluari sine fide, quando non habet humanum medium ad obtinendam illam, sed dicendum potius est, vel Deum illi donare fidem per specialem aliquam prouidentiam, vel certe fore damnandum, si Deus hoc modo illi non prouideret: ita de nullo infante credendum est, ex dispensatione saluari sine fidei Sacramento, quod est Baptismus, sed vel Deum illi prouidere de baptismo, vel certe perire, si omnino hæc prouidentia desituarur, & baptismo careat. Atque Franc. Suarez Tom. 3.

ex hac conclusione colligo, idem dicendum esse de infante, qui exterius baptizatus est, tamen in baptismo commissus est defectus aliquis essentialis. Nam cum ille defectus irriter totum Sacramentum, perinde se habet, ac si nullo modo esset baptizatus, quia reuera non est renatus ex aqua, & Spiritu sancto, & tota illa actio exterior re ipsa non fuit sacramentalis, atque ita nullum effectum habere potest. Vnde affirmare, in eo casu paruulum saluari, non est verisimilius, quam id affirmare, de quocunque paruulo sine baptismo mortuo. Nam vel illi promittitur salus per legem ordinariam, vel per speciale priuilegium aut dispensationem. Hoc posterius vanum est, & sine fundamento, vt dictum est. Illud vero prius inuoluit in terminis repugnantiam. Nam si illa actio exterior, prout fuit facta cum tali defectu, non est Sacramentum: ergo non est signum gratiæ ex certa lege Dei & promissione: vel è contrario, si non obstante illo defectu, ex certa lege datur gratia, per illam actionem: ergo illa est verum Sacramentum, quia talis promissio gratiæ secundum legem ordinariam non est facta, nisi Sacramento. Item si ex lege Dei esset certum signum gratiæ, & vera regeneratio: ergo, vel esset aliud Sacramentum præter Baptismum regeneratiuum animæ in lege gratiæ: quod est hæreticum, vel esset verum baptismi Sacramentum cum defectu essentiali, quod & in se repugnat, & non est minus falsum.

Ad fundamentum igitur contrariæ sententiæ priori modo explicatum, respondetur, Christum quidem non abtulisse sibi potestatem dispensandi in lege sua, aut communicandi gratiam eo modo, quo sibi placuerit: tamen nec pium, nec rationabile esse credere, aut asserere ipsum hoc facere in priuata aliqua necessitate sine alia causa, vel ratione, vel fundamento. Nam vel de omni simili necessitate idem asserendum est, & hoc virtute est asserere, ita fieri ex lege ordinaria: vel certe non est minor ratio ad id potius asserendum in vno casu, quam in alio, nisi hoc speciali reuelatione constet: Imo existimo in huiusmodi necessitate non debere pios parentes petere à Deo, vt iustificet, vel saluet paruulum sine Baptismo, quia hoc esset petere ab illo, vt contra suam legem agat, vel vt in vniuersali lege pro omnibus lata dispense, quod sine speciali reuelatione, aut instinctu Spiritus sancti, qui reuelationi æquiualeat, non licet, sicut non licet petere à Deo, vt aliquem damnatum ab inferno liberet, vel vt peccatorem adultum sine illius dispositione sanctificet. Sed in his casibus petendum est à Deo, vel in communi, vt de remedio necessario prouideat, vel certe, vt non permittat paruulum in ea opportunitate mori, antequam baptizetur. Hoc autem intelligendum est, vt dixi, secundum ordinarium modum procedendi hominum consentaneum fidei, & legi à Deo late. Nam speciali instinctu Spiritus sancti, qui, vbi vult, & quomodo vult, spirat, posset interdum aliud licere.

Ad fundamentum contrariæ sententiæ.

Ad fundamentum opinionis Caietani iam ostensum est, vtramque interpretationem legis Christi esse valde absurdam. Nam cum absolute lex lata sit, & absolutam necessitatem præferat, addere ei conditionem, vel generalem, & ordinariam exceptionem solum ex proprio capite & arbitrio, non est interpretari legem, sed corrumpere. Altera vero interpretatio de baptismo in re, vel in voto, non potest applicari paruulis, de quibus, quoad hoc non est eadem ratio, quæ de adultis, vt ostensum est. Quoad autem dici solet, paruulum non habere aliam voluntatem, præter paternam, intelligendum est, quoad particulare ius, quod pater habet ad gubernandum filium, & curam eius gerendam in his, quæ ad corpus, & animam eius pertinent, de quo iure in superioribus late tractatum est: non vero quoad hoc: vt voluntas patris reputetur voluntas filij, præsertim in his, quæ ad salutem animæ spectant, quæ non sunt posita in voluntate patris, nec subiacent dominio eius.

Ad fundamentum opinionis Caietani.

eius, neque in his se gerit, vt caput filij, sed solum vt priuata persona. Et eadem ratione fides patris non applicatur filio pro ipsius arbitrio, sed solum iuxta diuinam institutionem. Et ideo nihil refert signum externum, nisi sit illud, quod à Deo est institutum. Quare gratis & sine fundamento dicitur, tale signum continere votum Baptismi, quasi ex opere operato, quia hoc opus operatum deberet fundari in aliqua Dei lege, vel in effectu aliquo ab illa proueniente. Quare non est simile, quod de Baptismo & de Eucharistia dicitur, nam, vt omitam, satis metaphorice dici, paruulum per Baptismum habere votum Eucharistia, tamen illa metaphora fundatur in effectu, quam Baptismus habet ex lege & promissione Dei. Nam venit animam Christo, & infundit charitatis habitum, quo seruantur omnia mandata, seu seruari proponuntur, etiam in habitu. Hæc autem & similia non habent locum in quolibet signo externo proprio arbitrio exhibito absque Dei institutione. Ad primam confirmationem respondetur, negando verba Euangelij sufficienter explicari dicto modo, seu cum prædicta exceptione, quam non negamus potuisse Christum addere suæ legi: si voluisset, negamus tamen id fecisse, quia nec verba eius hoc præ se ferunt, nec Ecclesia ita sentit. Ad congruentiam vero de suam Dei prouidentia respondetur, in primis in hoc negotio paruulorum, partim habendam esse rationem diuine misericordiae, partim iustitiæ. Est enim in paruulis sufficiens causa, propter quam excludantur à regno cœlesti, & ideo potuit Deus ad ostensionem iustitiæ suæ permittit, vt pereant illi, quibus remediū ordinarium ad consequendam salutem vel non applicatur, vel applicari non potest propter occurrentes circumstantias, quæ sunt per accidens ad institutionem remedij, quod de se vniuersale est, & pro omnibus datum. Deinde dicitur, in hac lege de necessitate Baptismi, magis esse pensandum, quid expediat bono communi totius Ecclesiæ in hoc statu legis gratiæ, quam quid expediat priuatis necessitatibus, aut commodis aliquorum. Oportuit enim legem Baptismi esse generalem, vt ille solus sit regeneratus in Christo, & ianua ingrediendi Ecclesiam, vt sicut Ecclesia vna est, ita vnus sit regenerationis modus. Adde illum euentum, in quo accidit, paruulum aliquem non posse baptizari, rarissimum esse, & moraliter vix posse accidere, & ideo propter id non oportuisse exceptionem addere, sed magis fuisse conueniens legem esse regularem, & inuolabilem, nullumq; locum relinqui humanis interpretationibus & arbitrijs. Adde præterea, hoc fuisse expediens ad ostensionem diuinæ gratiæ, sicut & iustitiæ. Nam totum hoc negotium salutis maxime pendet ex diuina voluntate & præordinatione, & ideo sicut in hoc negotio Baptismi, interdum ostendit iustitiam suam, vt dicebamus, præuidens fore, vt alicui non possit applicari Baptismus, & permittens illum sine Baptismo perire: ita interdum mirabiliter ostendit gratiam suam, quâdo nimirum casus occurrit, in quo videtur paruulus omni humano, & naturali auxilio destitutus, vt baptizari possit, tamē Deus specialiter, & inuitato modo illis prouidet, vt omnino baptizetur, priusquam moriatur.

Ad 1. confirm.

Ad secundam confirmationem respondetur etiam si in lege gratiæ omnino determinatum sit remediū paruulorum ad Baptismum, non ideo esse nunc paruulos peioris conditionis, quam essent in lege naturæ, aut veteri. Nam in primis, quæuis materia seu signum Baptismi sit definitum ad talem cæremoniam, quæ non erat determinata in lege naturæ, nihilominus tam est communis hæc materia Baptismi, & tam facile potest applicari tota eius cæremonia, vt moraliter fere tam facile applicari possit, ac si esset indifferens, & qualibet cæremonia sufficeret, sicut in lege naturæ sufficiebat. Aliunde vero facilius potest nunc applicari hoc remedium propter maiorem fidei cognitionem, & certiorē ipsius Baptismi significatio-

nem & institutionem. Accedit etiam, quod maiori fructu applicatur nunc hoc signum, quia maiorem confert gratiam, & ianua regni aperit. Præterquæ, quod propter commune bonum Ecclesiæ, & perfectiorem statum legis gratiæ, vti ea esset expressior Sacramentorum significatio, oportuit hoc remediū originalis peccati ad certum ac definitum signum limitari. Deinde, si comparatio fiat ad remedium circumcisionis, omiſsa opinione eorum, qui negant potuisse illud remedium suppleri interdum per Sacramentum legis naturæ, de qua infra dicemus, & supposita contraria sententia vt veriori, quam late tractat Sotus distinct. 2. quaest. 1. artic. 3. dicendum est, non esse parem rationem de Baptismo & circumcissione, primo quidem, quia necessitas circumcisionis non urgebat vsq; ad octauum diem, nec fortasse poterat prius applicari ob quamcunq; necessitatem, & ideo pro illo tempore non videtur exclusum aliud remedium, saltem necessitate urgente. Deinde quia circumcisio per se primo non fuit instituta, vt remedium originalis peccati, sed vt est confessio illius legis, seu fidei, ex quo consequenter habuit eandem vim, quam remedium legis naturæ, quasi loco illius succedens. Vnde mirum non est, quod non omnino illud euacuauerit, ac de medio abstulerit. Cuius etiam signum est, quia nec toti orbi fuit proposita, neq; omnibus infantibus Hebræorum applicari poterat, vt constat de feminis. Quæ omnia sunt longe alterius rationis in Baptismo. Nam & per se primo est institutus ad remittendum peccatum, & regenerandos homines in Christo, & omnibus applicari potest, & pro omnibus est institutus, & vt necessariis propositus. Deniq; accedit congruentia, quod circumcisio erat remedium difficile, & interdum periculis expostum, at vero Baptismus est remedium facile, semperque sine periculo applicari potest. Est ergo certus, per Baptismum reuocatum esse, omne aliud signum externum, non solum circumcissioni, sed etiam legis naturæ, quia quod tunc erat indifferens, nunc est à Christo determinatum ad Baptismum, sub absoluta lege necessitatis. Neque ex illo Bernardum de hoc vniuersam dubitasse, sed solum citato loco dubitasse, quo tempore antiqua Sacramenta cœperunt esse inutilia paruulis, in quo potius supponit, iam esse inutilia. Quod si etiam de præſenti tempore, vel de sua ætate dubitat, non est intelligendus, quoad legem ordinariam, sed solum quantum dubitari potest, an Deus alicui speciale priuilegium concedat. Ad exemplum autem de adultis, quod in eadem confirmatione assererebant, respondetur, non esse eandem rationem, vt ex dictis facile constare potest, quia adulti sunt capaces iustificacionis per propriam dispositionem, in qua intrinsece, & quasi ex natura rei continetur votum Baptismi, supposita eius institutione, & necessitate, in paruulis vero hoc non habet locum, vt dictum est.

Ad vltimam confirmationem conceditur sequentia, & consequens debet esse certissimum, scilicet infantes, qui in maternis vteris moriuntur, non posse saluari: ita etiam sentit vniuersa Ecclesia, & Theologi, qui omnes cum Diuo Thoma dicto articulo 11. d. 1. quaestione præcedente, & Augustino episto. 57. Fulgentio de fide ad Petrum capite 27. Hoc autem non est singulare legis nouæ, sed in omni lege & ætate verum habuit, quia vt Augustinus supra dixit, secluso speciali priuilegio, nunquam potuit homo renasci prius, quam nasceretur ex vtero matris, & ideo sanctificatio, quæ interdum facta est in aliquibus in vtero materno, semper existimata est fieri ex priuilegio speciali. Ratio autem huius rei præcipue petenda est ex diuina prouidentia, & voluntate. Possimus autem nonnullam congruentiam illius voluntatis excogitare. Nā oportuit, vt sicut homines ab Adamo descendunt humano modo, & per actionem sensibilem, ab illo contrahunt originalem culpam, ita per actionem sensibilem, & per actionem aliquam sensibilem, & modo do ho-

do hominibus accommodato eis applicaretur gratia Christi. At vero quamdiu infans est in vtero matris, adhuc est veluti extra societatem humanam, unde non potest ad eum referri sacramentalis actio, & intentio, cum adhuc non constet hominibus, quid ibi lateat, aut in quo statu, vel necessitate constitutum sit. Vnde fit vterius, non potuisse commode applicari huiusmodi remedium parvulis in eo statu existentibus, quia vel semper applicandum esset, quia semper timeri potest, sine sine in aliquo graui periculo vitæ, & ita nunquam sanctificarentur per ordinaria remedia, quæ pro hominibus, iam natis instituta sunt, vel certe nunquam potest oportuno tempore prudenter applicari, quia nunquam potest satis constare de necessitate aut statu, in quo infans existit in matre non vtero. Nisi forte quis dicat, remedium semper esse applicandum per orationes, vel alia signa fidei parentum: Habere autem, vel non habere effectum iuxta diuinam præscientiam: ita vt, si Deus præciat, parvulum moriturum in vtero matris, remedium applicatum habeat in eo effectum, non vero si præciat, illum esse victurum, & nasciturum ex vtero matris, sicut in simili dixit Marcellus in 4. quæst. 2. artic. 1. dubio 1. sed hoc non est verisimile, vt bene notauit Soto in 4. dist. 2. quæst. 1. artic. 2. & 3. de natura & gratia capite 10. quia sacramenta & alia remedia, quæ Deus nobis ad salutem reliquit, non pendunt ex futuris eventibus, neque ex præscientia eorum, sed ex applicatione remedium instituti, & dispositione recipientis, alioqui eodem modo dici posset, sicut dicebat V. Viclef. hæc remedia habere effectum in prædestinatis, non vero in præcitis. Ad rationem ergo in illa vltima confirmatione factam, fatendum est, Deum reliquisse hos infantes sine remedio pro illo statu, seu quod in illo statu applicari posset. Inde vero non fit simpliciter & absolute reliquisse illos sine remedio: quia sufficienter illis prouidit, saltem in causis vniuersalibus. Nam pro illis instituit Baptismum, & per generales causas sufficienter prouidit, vt eis posset applicari: quod vero interdum impediatur hæc causa ex concursu aliarum causarum, est per accidens, nec pertinet ad ordinariam Dei prouidentiam, hæc omnia impedimenta tollere, aut propter priuata incommoda, & raros eventus extraordinaria concedere remedia, quorum vius conuenientem modum, & vsum ordinarium Sacramentorum quodammodo perturbaret. Vnde interdum permittit Deus, infantem mori in eo statu absque remedio ad ostensionem iustitiæ suæ: interdum vero extraordinario modo prouideri, vt infans, non obstante quocunq; periculo, aliqua ex parte egrediatur de vtero matris, ita vt baptizari possit, antequam moriatur, ad ostensionem gratiæ & electionis suæ, neque in hoc negotio aliquid amplius petendum est à diuina prouidentia, quia non tenetur singulis dare remedia pro singulis temporibus, & in quocumque statu, & sub quacumq; conditione, sed satis est omnibus prouidere vniuersali quadam ratione, & modo hominibus accommodato. Quocirca non est omnino eadem ratio, quoad hoc in culpa Adæ, & gratia Christi communicanda. Nam illa transfunditur per naturalem generationem, & ideo in vtero matris, & in ipso conceptionis instanti participatur: gratia vero Christi per spirituales regeneratione infunditur, quæ fit per humanam & sacramentalem actionem, ad quam necesse est supponi subiectum, quod sensibus atque oculis humanis subiacere possit.

SECTIO IV.

Quo tempore cepit Baptismus esse ad salutem necessarius.

Hanc questionem tetigit Bernardus epistola 77. Vbi refert, quosdam suo tempore asseruisse ab eo

tempore, quo Christus dixit Nicodemo: Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto non intrabit in regnum cælorum. cœpisse Baptismum esse necessarium ad salutem, ita vt nullus postea sine illo salutem sit consecutus, cui sententiæ videntur interdum fauere sancti Patres, præsertim Fulgentius libr. de Fide ad Petrum. capite 3. vbi expresse dicit, baptismum fuisse necessarium ab eo tempore, quo Christus illa verba protulit. Et fortasse hæc ratione Cyprianus & Augustinus, qui eum refert libro primo de anima & eius origine, capite 9. libro 2. capite 10. & libro tertio, capite 9. conati sunt docere, sanctum latronem non fuisse mortuum sine baptismo, aut aquæ, aut sanguinis, aut saltem flaminis, vt addit idem Augustinus 4. libr. de Baptismo capite vigesimo secundo & vigesimo tertio. Vnde colligit documentum, scilicet posse in necessitate sufficere ad salutem, votum Baptismi, quæ tamen omnia neque essent necessaria, nec consequenter dicta, nisi supponerent Baptismum fuisse necessarium ante Christi mortem, quando latro iustificatus est, non potuit autem tunc esse necessarius, nisi necessitas eius inceperit ab eo tempore, quo Christus prædicta verba protulit Iohannis 3. Vnde in eadem sententia videtur esse Chrysol. Homil. de reditu suo ex Asia, vbi dicit, latronem esse baptizatum aqua, quæ ex latere Christi manauit.

Dico primo, necessitas Baptismi non incepit ante Christi Domini mortem & resurrectionem. Ita docuit Bernardus citato loco, & Hugo de sancto Victo. lib. 2. de Sacramento p. 6. ca. 5. eosque ceteri Theologi secuti sunt, & ratione facile conuincitur potest: nam licet Christus dixerit Nicodemo. Nisi quis renatus fuerit, &c. non est verisimile, Baptismum fuisse necessarium ab eo tempore, quo Christus protulit illa verba, primo quidem, quia non protulit illa tanquam condens & promulgans legem, sed in priuato colloquio sermonem habens. Necessitas autem hæc certa est ex lege, vt infra dicam. Lex autem non inducit necessitatem, donec condita sit & promulgata. Deinde, quia in illis verbis non tam dixit Christus, quid iam tunc esset necessarium, quam prædixit, seu indicauit quid suo tempore futurum erat necessarium: Vnde quod ait. Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, subintelligendum est, scilicet, eo tempore, quo talis modus renascendi fuerit hominibus prescriptus. Vnde sumitur noua ratio, quia non potuit necessitas Baptismi imponi ante institutionem eius. Sed quando Christus protulit illa verba, nondum erat Baptismus institutus. Ergo non possunt ea verba referri ad illud tempus, in quo dicta sunt, sed ad aliud tempus, iam instituti, seu promulgati Baptismi, pro quo prædicta sunt. Sicut quando Christus dixit Ioan. 6. Nisi māducueritis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis: non indicauit necessitatem, quæ iam tunc teneretur homines, quando ipse proferebat illa verba: quia tunc nondum erat possibile manducare eius carnem: cū nondū esset Eucharistiæ Sacramentum institutum. Significauit ergo necessitatem paulo post, tēpore debito futurā. Sic ergo intelligendum est in præsentia. De reliquo autem tempore vsq; ad passionem Christi eadem ferret ratio est. Nam licet ante mortē Christi fuerit Baptismus institutus, non fuit tamen hominibus propofitus vt necessarius ad salutem, quia præceptum eius non fuit eo tempore latum: neq; enim traditum nobis est, nec scriptum ante Christi mortem, & resurrectionem, cum dixit, Euntes, docete omnes gentes, baptizantes eos, &c. Tandem adiungitur generalis ratio sumpta ex debita dispositione diuinæ prouidentia. Nam si Baptismus fuisset necessarius eo tempore, tam parvulis, quam adultis fuisset necessarius, quia simul cœpit eius necessitas respectu omnium. Ergo omnia antiqua remedia fuissent iam inutilia, vel saltem insufficientia ad salutem eorum. Effert ergo tunc

Fulgent.

August. Cypri.

Chryso.

Ante Christi mortem, & resurrectionem non fuit Baptismus necessarius Bernardus Hugo de S. Victore.

Lex non obligat antequam condita sit & promulgata.

Ioan. 6.



clausa salutis via hominibus, præsertim infantibus, non tantum ex accidenti, sed per se ex vi talis modi imponendi necessitatem. Patet vltima consequentia, quia, cum tunc non esset publice prædicatus Baptismus, non poterant homines illo vi in remedium salutis, quia non poterant vilo modo intelligere vel cogitare, corporis abluitionem fore vtilem: nedum necessariam ad animæ salutem. Propter quam causam constans, & certa doctrina est Theologorum, quæ in materia de legibus traditur, antiqua remedia, tam legis naturæ, quam veteris, non amissæ suam vim & vtilitatem sufficientem ad tollendum peccatum ante Christi mortem, ex quo necessario consequitur, Baptismum non fuisse illo tempore necessarium.

*Quando  
cepit esse  
baptismi  
necessitas.  
Bernard.  
Con. Trid.*

*Vega.  
Scotum.*

*Ratio à  
priori.*

Dico secundo, Necessitas Baptismi non incepit à die mortis, vel resurrectionis Christi, sed ab eo tempore, quo cepit Euangelium esse sufficienter promulgatum. Hoc etiam docet Bernardus in dicta epistola, & colligitur ex Concilio Tridentino sessione 6. capit. 4. dicente, post Euangelium promulgatum neminem iustificari sine Baptismo, vt recte notauit Vega lib. 5. in Tridentinum cap. 13. & cum Scoto & aliis doctoribus in 4. d. 3. & 4. intelligendum esse declarat de solemnè promulgatione toti orbi facta, siue illa simul, siue successiue perfecta fuerit, & obligare cœperit in toto orbe, quod in materia de legibus, ex professo tractandum est. Ratio autem à priori est, quia Baptismus non prius cepit esse necessarium medium ad salutem, quam fuerit necessarius ex præcepto. Sed præceptum non cepit obligare ante sufficientem promulgationem, quia hoc est de intrinseca ratione præcepti seu legis, siue sit de assentia, siue necessaria conditio ad obligationem eius (parum enim hoc refert) Ergo nec cepit Baptismus habere necessitatem medij vsque ad eandem promulgationem. Maior declaratur, quia licet necessitas medij, & præcepti, sint aliquo modo diuersæ: tamen in his medijs externis, quæ natura sua non sunt medium, sed sola ex institutione, non potest esse necessitas medij, nisi ex necessitate præcepti oriatur. Quia si non sit datum præceptum de illorum vsu: ergo omittere illa nullum erit peccatum. Poterit ergo aliquis saluari, etiam si illa omittat, quia salus solum per peccatum impeditur. Ergo sine præcepto non potest intelligi necessitas simpliciter in huiusmodi medio. Dices, hoc ad summum procedere in adultis, nõ vero in infantibus. Illi enim possunt per contritionem iustificari, & iustitiam semel comparatam amittere non possunt nisi per peccatum, & ideo, nisi intercedat præceptum, quo teneantur suscipere Baptismum, quodque violent, omittendo illud, non potest intelligi necessitas talis medij, neque quod votum eius necessario in contritione includatur. Infantes vero nec iustificari possunt per proprium actum, nec sunt capaces præcepti, & ideo respectu illorum potuisset Baptismus esse medium necessarium ante latum præceptum, quia licet in carentia talis medij non peccarent, damnari possent propter originale non deletum. Respondetur primo, hoc nobis satis esse, quia, quicquid sit de possibili, tamen de facto certum est, necessitatem Baptismi non prius incepisse, respectu infantium, quam respectu adultorum: Nam Christus nullam inter eos distinctionem fecit, sed simul, & in omnibus locutus est. Deinde, non fuit conueniens, prius cepisse Baptismum esse infantibus necessarium, quam fuerit parentibus imposita necessitas baptizandi illos. Hæc autem orta est ex præcepto Baptismi. Quamquam etiam oriri potuerit ex lege charitatis & pietatis supposita infantium necessitate, tamen, quia hæc ipsa necessitas non poterat cadere in mentem parentum, ante promulgatam sufficientem Baptismi institutionem, ideo non potuit conuenienter institui, & imponi Baptismus vt necessarius, etiam respectu infantium ante sufficientem promulgationem. Vnde potest hic tandem applicari supra facta ratio, sumpta ex debito or-

*Obiectio.*

*Solutio.*

dine diuinæ providentiæ, quia scilicet alias via salutis esset per se impossibilis omnibus infantibus toto illo tempore: quod est magnum incommodum, dico autem per se: quia per accidens non est inconueniens. Quod enim gubernator, aut legislator prouideat, aut præcipiat media ex se impossibilia, est contra omnem prudentiam, & sapientiam: quod vero remedia aut præcepta, alias possibilia, interdum executioni mandari non possint, humanum est: & non spectat ad legislatorem, vel gubernatorem prouidere modum, quo possint in omni euentu, & particulari casu talia remedia applicari. Sed occurrerat iam, hoc loco explicandum, quando fuerit lex euangelica sufficienter promulgata, sed hoc non spectat ad præsentem locum, sed in 1. 2. differendum est.

Obijci vero potest, contra hanc conclusionem, quia in puncto mortis Christi lex vetus, euacuata est & vtilitas circumcissionis euaniuit, iuxta illud ad Romanos 7. Mortificati estis legi per mortem Christi: ergo extunc cepit Baptismus esse necessarius, alias nullum tunc permanisset remedium necessarium ad peccatum originale delendum. Respondetur primo, negando antecedens, cum enim Paulus significat, mortuum fuisse legem veterem per mortem Christi, non est necesse ita intelligi, vt in eodem momento, in quo mortuus fuit Christus, mortua etiam fuerit lex vetus: sed quia ex morte Christi manauit ablatio veteris legis, vnde tunc posita fuit sufficientis causa huius effectus, quamuis non statim, sed paulatim, seu opportuno tempore illum effecerit, vt lex illa sepeliretur cum honore, sicut etiam sacrificia illius legis ablata sunt per Sacrificium legis nouæ, & sacerdotium vetus per Sacerdotium Christi, & per mortem eius, vt significatur ad Hebræos 7. & 9. & tamen nec sacerdotium, nec sacrificia vetera omnino extincta fuerunt in morte Christi, alioqui vsus talis sacerdotij, & omnes cæremonia, & sacrificia legis veteris fuisset superstitiosa & sacrilega ab instanti mortis Christi. Quod tamen verum non est. Dicuntur ergo hæc omnia euacuata per mortem Christi, quia tunc consummata sunt omnia, & confirmatum Testamentum nouum, ex quo ortum est, vt vetus cessaret, modo tamè conuenienti, & tempore opportuno. Secundo respondetur, negando consequentiam. Probabile enim est, eo tempore, quo lex vetus fuit mortua, & non mortifera: adhuc non fuisse Baptismum simpliciter necessarium ad salutem, quamuis vtilitas omnium veterum sacramentorum & circumcissionis etiam, vt ad illam legem pertinebat, euacuata iam esset. Dicendum est ergo, illo tempore vsque ad perfectam euangelij promulgationem durasse naturalem legem, & remedia salutis, quæ in illa erant, suam vtilitatem non amississe: quia illa non erant ita cæremonialia & vmbra futurorum, sicut veteres cæremonia: sed erant quasi connaturalia, & per se ordinata ad salutem hominum. Vnde fit, circumcissionem potuisse eo tempore prodesse ad remedium originale peccati: quia huiusmodi vtilitatem non habuit, vt speciale sacramentum veteris legis, sed vt participabat communem rationem, & vim sacramenti legis naturæ, vt in superioribus explicatum est: hanc ergo vim obtinere potuit, quamdiu lex vetus non fuit mortifera: & ideo non oportuit, baptismum eo tempore esse simpliciter necessarium.

Ad fundamentum contrariæ sententiæ respondetur si aliquando Patres dicunt, baptismum cepisse esse necessarium, ex quo Christus dixit Ioan. 3. Nisi quis renatus fuerit: exponendos esse non de eo tempore, in quo, sed pro quo protulit illa verba, vt à nobis satis explicatum est: quod vero August. Cyprian. & Chrysostr. de baptismo boni latronis docuerunt, ex quadam pia consideratione, & copia doctrinæ dictum videtur, non quod fuerit necessarium, vt argumentum conuincit: quia tunc nondum urgebat baptismi necessitas. An vero credibile sit, illum fuisse

fuisse baptizatum, tractavi superiori tomo, q. 46. art. 1. in Commentario, ubi probabilis duxi, non fuisse baptizatum baptismo aquæ, antequam cruci affigeretur, quia nondum in Christum crederat: quod vero in ipsa cruce non fuerit baptizatus, certo certius est, quis enim minister eum baptizasset, aut formam protulisset, aut qua aqua baptizatus esset? illa enim, quæ ex latere Christi manavit, non potuit ad illum pertingere sine miraculo, quod non est fingendum sine fundamento: & fortasse prius, quam illa aqua manaret à latere Christi, iam ille erat mortuus: nam prius fregerunt eius crura, ut interficeretur, quam latus Christi aperiret: praesertim quia vivente Christo ille iustificatus est, quando ipsum confessus est, & ideo ab eo audiuit, Hodie tecum eris in paradiso. Unde etiam conitatur, non fuisse baptismum sanguinis iustificatum: quia multo tempore ante mortem & antelethalia vulnera, ac omnino desperata, iustus factus est, & quando dici nullo modo poterat propter Christum pati. Adde passionem & mortem eius non posse dici baptismum sanguinis: tum quia nec fuit verum martyrium, quia non propter fidem aut virtutem, sed propter sua scelera passus est: tum etiam, quia licet illa mors fuisset martyrium, non tamen supplevisset necessitatem baptismi aquæ: quod est necessarium ad propriam denominationem baptismi sanguinis, quia tunc nulla erat talis necessitas. Atque eadem ratione non potest dici latro ille proprie baptizatus baptismum fluminis, quia licet veram habuerit contritionem, verumque Dei amorem super omnia, non tamen oportuit in eis includi votum baptismi, qui nondum erat necessarius: quod tamen votum est de necessitate baptismi fluminis. Quocirca ex hoc facto latronis non potest sufficienter colligi documentum illud, quod tunc in necessitate sufficit votum baptismi: sed potest sumi argumentum à simili: quod sicut illi profuit ad salutem interior conuersio in extremo vitæ positio: ita sufficiens esse poterit cuiuslibet in necessitate existenti, etiam si baptizari non possit: quia baptismi necessitas non abstulit vim suam interiori conuersioni ad Deum, si ex perfecto corde profecta sit.

## ARTICVLVS VIII.

Vtrum baptismus habeat in omnibus æqualem effectum.

**A**doctum sic proceditur. Videtur, quod baptismus non habeat in omnibus æqualem effectum. Effectus enim baptismi est remotio culpe. Sed in quibusdam plura peccata tollit, quam in aliis, nam in pueris tollit solum peccatum originale, in adultis autem etiam peccata actualia, in quibusdam plura, in quibusdam vero pauciora. Non ergo æqualem effectum habet baptismus in omnibus.

1. Præterea, Per baptismum conferuntur homini gratia & virtutes. Sed quidam post baptismum videntur habere maiorem gratiam & perfectionem virtutum, quam alij baptizati. Non ergo baptismus habet æqualem effectum in omnibus.

2. Præterea, Natura per se recipit per gratiam sicut materia per formam. Sed forma recipitur in materia secundum eius capacitatem. Cum ergo in quibusdam baptizatis etiam pueris, sit maior capacitas naturalium, quam in aliis, videtur, quod quidam maiorem gratiam consequantur, quam alij.

3. Præterea, Quidam in baptismum consequuntur non solum spiritualem salutem, sed etiam corporalem, sicut patet de Constantino, qui in baptismum mundatus est à lepra. Non autem omnes infirmi corporalem salutem consequuntur in baptismum. Baptismus ergo non habet æqualem effectum in omnibus.

Sed contra est, quod dicitur Ephes. 4. Vna fides, vnum baptismum. Vniuersis autem causis est vniuersis effectus. Ergo baptismus habet æqualem effectum in omnibus.

Respondendo dicendum, quod duplex est effectus baptismi: 1.

1. nus per se, & alius per accidens. Per se quidem effectus baptismi, est id, ad quod baptismus est institutus scilicet ad regenerandum hominem in spiritualem vitam. Et hunc effectum æqualiter facit in omnibus, qui æqualiter se habent ad baptismum. Unde, qui omnes pueri æqualiter se habent ad baptismum (quia non in fide propria, sed in fide Ecclesie baptizantur, omnes æqualem effectum percipiunt in baptismum. Ad alium vero, qui per propriam fidem ad baptismum accedunt, non æqualiter se habent ad baptismum; quidam enim cum maiori, quidam cum minori deuotione ad baptismum accedunt. & ideo quidam plus quidam minus de gratia nouitatis accipiunt. Sicut etiam ab eodem igne accipit plus caloris, qui plus eo appropinquat, licet ignis, quantum est de se, æqualiter ad omnes suum calorem effundat. Effectus autem baptismi per accidens est, ad quem baptismus non est ordinatus, sed diuina virtus hoc in baptismum miraculose operatur, sicut super illud, Rom. 6. Vt vltima non seruiamus peccato, dicit glossa. Non hoc praestatur in baptismum, nisi forte miraculo ineffabili Creatoris, ut lex peccati quæ est in membris eius extinguatur. Et tales effectus non æqualiter suscipiuntur ab omnibus baptizatis, etiam si cum æquali deuotione accedant, sed dispensantur huiusmodi effectus secundum ordinem prouidentie diuine.

Ad primum ergo dicendum, quod minima gratia baptismi male sufficiens est ad delendum cuncta peccata. Unde hoc non est propter maiorem efficaciam baptismi, quod in quibusdam plus, in quibusdam autem pauciora peccata soluit, sed propter conditionem subiecti, quia in quolibet soluit, quocumque inuenit.

Ad secundum dicendum, quod hoc, quod in baptizatis maior vel minor gratia appareat, potest dupliciter contingere. Vno modo, quia vnus in baptismum percipit maiorem gratiam, quam alius propter deuotionem maiorem, ut dictum est. Alio modo, quia etiam si æqualem gratiam percipiunt, non æqualiter ea vruntur, sed vnus studiosus in ea proficit, alius per negligentiam gratia Dei deest.

Ad tertium dicendum, quod diuersa capacitas naturalium in hominibus non est ex diuersitate mentis, quæ per baptismum renouatur, cum omnes homines eiusdem speciei existentes, in forma conueniant: sed est ex diuersa dispositione corporum. Secus autem est in Angelis, qui differunt specie. Et ideo Angelis dantur dona gratuita secundum diuersam capacitatem naturalium, non autem hominibus.

Ad quartum dicendum, quod sanitas corporalis non est per se effectus baptismi, sed est quoddam miraculosum opus prouidentie diuine.

## COMMENTARIVS.

**D**octrina D. Thomæ in corpore articuli clara est, nec ulla indiget expositione: docet enim baptismum per se, & vi sua æquale habere effectum in omnibus, qui illi suscipiunt: quia, quantum in se est, æqualiter se habet ad omnes: ex parte vero subiecti inæqualiter dispositi fieri posse, ut maiorem habeat effectum in vno, quam in alio. Quam doctrinam fufius explicabimus sequenti disputatione. Vbi non nihil etiam dicemus de solutione ad secundum, in qua D. Th. attingit philosophicam questionem, an animæ humanæ sint inæquales in naturali perfectione, ut hac ratione, cæteris paribus, recipiant inæqualem effectum proportionatum naturali perfectioni: & respondet, non esse in mentibus hominum diuersam capacitatem naturalem ex parte ipsarum, sed ex diuersa corporum dispositione: & ideo non oportere, ut eis detur inæqualis gratia ob diuersam capacitatem naturalem, quæ responsio duobus modis potest intelligi. Primo, quod in animabus ipsis secundum se nulla fit inæqualitas. Secundo, quod in eis non fit inæqualitas formalis (ut sic dicam), & omnino absoluta, sed materialis tantum, & per habitudinem ad corpora diuersimode disposita, ita tamē, ut non fit inæqualitas in solis corporibus, sed etiam in animabus habentibus